




LAUDEO

JIORIS LVDOVICI P.ARISETI



IVNIORIS LVDOVICI PARISETI REGIENSIS EPISTOLARVM POSTERIORVM LIBRI TRES.



VENETIIS APVD ALDI FILIOS.
M D L I I I.

IVNIORIS LVDOVICI PARISETI EPISTOLARVM POSTERIORVM LIBER PRIMVS.

AD FRANCISCVM MARTELLVM.



VNC primum Martelle æſtu ui=
deor mihi ab illo
Reſpirare, equitando quem contra=
xeram, & à quo
Diriter arreptus fueram : dum per recaleſcens
Solſtitium exertas inter cautes, Atheſinq́;
Præcipitem faceremus iter : Regiumq́; Tridento
Vrbe rediremus. quantum fuerim reſolutus
Corpore, et exhauſtus membrorum uiribus, haud tu,
Qui comes, ignoras : noſti, quàm debilis, & quàm
Affectus grauiter, tandem poſt quinque dierum
Tardum iter appulerim. appulſus non ante recepi
Corpore quid ſolidi, aut firmi, quàm mœnibus urbis
Excedens, me rus Caſulanum contuli. in urbe
Octo dies cum me tenuiſſem : nullaq́; ab ægro
Affectu, rabidaq́; ſiti lenimina prorſus
Sentirem, ad colles Caſulæ, quos ſæpe ſalubres
Expertus fueram, ſtatui ſecedere. quare
Te monui : mecumq́; eſſes, unaq́; uenires
Oraui : qui cum nonnulla negotia forte
Excuſans, te uenturum poſt eſſe referres,
Sponderesq́; : moram non idcirco mihi agendam

Duxi: quin me conferrem, quò debilitandi,
Tollendi'ue mali affectus spes multa trahebat:
Quæ sanè minus est frustrata, nihilq; fefellit.
Quandoquidem uix hos colles, uix aëris huius
Lenes afflatus subij, quòd tristis abiuit
È membris langor: redijtq; assueta uigoris
Conditio: restincta sitis, torrensq; recessit
Aestus, & ad solitam rationem roboris actum
Est corpus. quin experior longè meliores
Corporis effectas uires. tam me gradiendo
Constantem, quàm concoctus ratione potentem
Sentio. non medicas normas obseruo, nec escis
Sumendis libros Celsi, decretaq; Pauli
Hærens adscisco. ratio mihi libera uictus:
Delectusq; cibi nullus: nullusq; bibendi
Præscriptus. quæcunque mihi iucunda palato
Apparent: ea sumo libens. non lacte coacto:
Ex oue sit quamuis multũ, & crassedine abundet:
Abstineo, non tempero fructibus. acre bibo nunc
Vinum, nunc lene haurio, sic alterna bibuntur
Vina mihi, ut quo perfusum sit prandium, eodem
Interdum non excipiatur cœna. tenorem
Victus non solum solito de more libellis
Ex medicis non sumo: sed interea mihi si quid,
Vt solet æstiuo præsertim tempore, peccet
Aluus, ut expultrix uis cesset, & eijciendi
Munere desistat: quod soluat, non opus est, ut
Oblata mercede petam, pretioq; tabernis
Ex medicis. quandam uiridans mihi sufficit hortus
Fragrantem, pulchramq; rosam, quæ non secus aluũ

Compressam soluit, quàm cassia harundo. profusis
Hæc rosa quinque coit folijs: quæ candida, quæq;
Non albo formosa minus, quàm suauia odore.
Non prius hæc uisu loca consita succedenti
Se rosa iucundo profert, quàm pandat odore
Se suaui. rubeis prodit suspensa flagellis,
Et de spinoso prorumpens cespite, tota
Prouenit æstate: & nostros se præbet in usus
Fertilis, & fœtu semper renouata recenti.
Nescio, si medicis libris perscripta sit huius
Vis, speciesq; rosæ, uel mentio facta potentis,
Quam teneat uirtutis. ego expertus bene notum,
Compertumq; habeo, quàm sit mirabilis, & quàm
Expediens albæ istius natura rosæ sit:
Quæ seu, cumprimum fuerit decerpta recenter,
Instar acetari comedatur: seu redigatur
Pulueris in speciem, perfundaturq; cibo, uel
Potu, nil gustum offendat, uexetq; palatum:
Et tamen egregium præstet medicaminis usum
Soluentis. cum segnities me corripit alui
Reddentis, memet curo medicamine odoræ,
Formosæq; rosæ: quæ tam opportuna leuando
Corpori, & educendo oneri tã accommoda, ut inde
Nil pariat noxæ, stomachumq; oblædat, & esus
Nil desiderium turbet. tibi si qua cupido,
Non minus indemnis uitæ, quàm libere agendæ:
Ex illa si uis impune recedere uitæ
Præscripta, & misera ratione aliquando: refer te
Huc, & temperiem cœli, flatusq; salubres
Aëris hos hauri. iam dudum expecto, prout nos

Inter conuentum, aduenias; te exopto uenire
Quamprimum: à scriptisq; tuum deducere tecum:
Vt possimus eam, quam nosti, absoluere spartam
Denique, & incœptæ opportunum imponere finem
Materiæ. tu care ueni, tu dulcis amice
Adpropera: tecum gratum conferre, piumq;
Sermonẽ est animus. quædã mihi mystica sunt, quæ
Exoptem, cupiamq; tuis committere castis
Auribus. es solus, cum quo mea sensa libenter
Expromam, & cum quo studiorum inuenta meorũ
Explicem. haberis solus idoneus inter amicos
Cum quo de sacris studijs, grauibusq; salutis
Rebus agã æternæ. mirum quàm magna capessam,
Excipiamq; animo oblectamina, quàmq; fruenti,
Atque exultanti gustem solatia mente:
Cum tecum loquor, & tecum cõmunico quidquid
Esse rear uirtutis, & integræ pietatis.
Quò fit, ut extimeam nunquam me posse uideri
Verbosum nimis, & nimium peccare loquendo:
Ni cum sermonem tecum contingit haberi
De literis, rebusq; sacris, & conditione
Humana. ne me ergo carere diutius hac, quam
Sumo uoluptate de te præsente, tuiq;
Alloquio, patiare rogo, contendoq; quantum
Possum, ac obtestor, quantum permittit honestas.

AD NICOLAVM SYLVIVM.

ANte dies aberas aliquot carissime Sylui,
Acturusq; rei causam communis in urbem
Eridani te contuleras. cum cura Tridentum

Vadendi ſubijt: quò ſacri indicta negoti,
Conciliĳq; eſſet tractatio. tempus adurens
Solſtitij licet inſtaret, inimicaq; noſtræ
Exangui, & ſiccæ compagi corporis æſtas
Vrgeret, ſtatui tamen ire meum unà habiturus
Martellum: qui noſtri Antiſtitis iret eodem
Legatus: graue quò ſenium excuſaret, & annos
Decrepitos. Iter aggreſſi, ſic gnauè equitati
Nos ſumus, ut greſſu teſtudineo properantes,
Vix per quinque dies Regio prodire Tridentum
Quiuerimus. credo, ſi conſtituiſſet eodem
Ire gradu Antiſtes, neutique neceſſe futurum,
Vt ſenium excuſaret, legatumq; ſenectæ
Mitteret excuſandæ aliquem. Tibi ſingula quæque
Commemorare loca, urbes, diuerſoria, uillas
Poſſem, quæ reperire, uidere, ſubireq; cauſa
Hoſpitij acciderit. ſed ne tibi forte elephantem
Ex muſca uidear compingere uelle, ſatis ſit
Perſtringendo referre, receptos urbe fuiſſe
Nos Manthus, dein Veronæ ſpectamine miræ,
Iucundæq; ſitu, ſuſceptos mœnibus: inde
Per Cluſam tranſiſſe, locum tum montibus altis,
Tum fluuio concluſum Atheſi; et tum deniq; cautes
Inter præruptas equitaſſe, quouſque Tridentum
Venimus. Ad cauponam hominis diuertimus illic
Quandam Theutonici, qui nos tractauit amice,
Seq; habuit ciuiliter, & ſinceriter in nos;
Quod non acciderat Veronæ; ubi caupo ſuperbus
Et fallax, nihil humani, nihil officioſi
Præſtitit. unde fuit deprendere quàm genuina

Integritate Italæ præſtet gens Theutona genti.
Sed ſimulac diem apud cauponem exegimus unũ,
Expediens uiſum eſt priuata cubilia in octo
Quoſque dies pretio conducere. ſcriba locauit
Quidam, quæ nobis, & equis ſat manſio planè
Apta fuit. uinum uendendum, operamq́; culinæ
Præſtandam ſuſcepit, item mercede recepta
Quæ curanda domi, poſtquam perſoluimus, ad res
Quæ foris officium, ac operam exigerent ineundas
Conuerſi tres legatos conuenimus. hi ſunt
Ex numero patrum, ſacraq́; cohorte ſenatus
Purpurei, qui Pontificis mandata obeuntes
Vrbe Tridentina præclara nogotia ſacri
Concilij curant. his non prudentia deſit,
Non probitas, non integritas, non copia ſacræ
Doctrinæ; hi patres nos accepere benignè,
Ad menſasq́; ſuas humaniter inuitantes
Admiſere, epulisq́; ſuis accumbere ſæpe
Nos uoluere, mihi, fuerat qui cognitus illis,
Dux Martellus. eo timui duce, ne paraſitus
Interdum quiſquam poſſem, uel gnato uideri.
His cum legatis fuimus quandoq; locuti
De ſtudijs noſtris, uitæq́; tenore petiti.
Interdum de concilij utilitate, ſacrisq́;
In melius rebus redigendis egimus. hi rem
Vrgere, & recte uiſi ſentire fuerunt.
Hos præter primores, primatesq́; negoti,
Complures alios ſacra de claſſe celebres,
Inſignesq́; uiros doctrina, & relligione
Viſimus, & conuentos compellauimus ultro.

Res longè inueni meliores, quàm reputaram.
Sunt ſenſus longè comperti candidiores
Quàm rebar, plus doctrinæ, plus integritatis
Deprenſum, quàm ducebam. pleriq; periclis
Tentati uarijs, bene reſpondere tametſi
Inſueto mihi debilitas contracta labore.
Obſtructusq; epatis nimio conceptus ab æſtu
Me ſegnem ingenio facerent, parcumq; loquendi:
Quàm potui, tamen adnixus ſum quærere, resq;
In medium proferre, quibus cuiuſq; probari
Tam poſſet doctrina, animi quàm ſenſus haberi.
Corporis infirmi ratio non paſſa, quod à me
Speratum, præſtare. ſolutus corpore mentem
Eneruem patiebar iners. utcunque ſuperſtes
Vis tulit, inſtitimus, ſtudijs ne prorſus inepti
Eſſe uideremur, uitamq; abſumere inertes.
Tranſacti ſimulatq; dies bis quinque Tridenti,
Noſtri perfectis Martelli rebus, amicis
Pluribus, & uarijs cumulati abſceſſimus, & quo
Progreſſi fueramus, iter ſeruauimus, urbe
Verona tamen ad læuum remanente, petito
Benaco. poſtquam Regium peruenimus, æſtus
Vrbani impatiens, Caſulani prædia ruris
Acceſſi, collesq; petiui algentibus auris
Spirantes: ubi ſanus ago, uiuoq; quietus,
Vt non inuideam uenerandis patribus illis,
Quos modò dicebam me conſpexiſſe Tridenti:
Quamuis purpurei geſtent inſigne galeri:
Et propter magnos, quibus exornantur, honores
Crure inclinato, & capite accedantur aperto.

IVN. LVD. PARISETI

AD NICOLAVM SYLVIVM.

Electum cum te Sylui mercede statuta
Accepi, qui præstares Ferrariæ, agenda
Pro causa officium patriæ, & si absentia nobis
Ista tua interea grauis, & damnosa futura
Esset ob assiduum ad nos morem conueniendi:
Iucundæq; frequentem consuetudinis usum:
Sum tamen hinc lætatus, eoq; tuam utilitatem,
Atque decus suscepi animo, quo debui amore
Pro summo, quo mirifice te prosequor, & pro
Officijs, quibus agnoui temet studiosum
Esse mei, cupidumq;. fui lætatus, apertum
Lucri aditum, oblatamq; parandi alicuius honoris
Ansam. cum studijs legum, iuriq; forensi
Te nauare operam nossem; curamq; palati
Seruare: indignum rebar, te ducere inertem
Hic uitam, & tempus, frugesq; absumere nulla
Spe lucri, & nulla quærendi nominis arra.
Apta tibi se commoditas nunc obtulit: ut te
Ostendas, studijq; tui argumenta, fidemq;
In medium referas. quidnam profeceris annis
Pluribus, & quantum curæ, ingenijq; locaris
In legum, iurisq; graui ciuilis arena,
Nunc declarandi se occasio præstitit. eius,
Quam tibi sinceram adsciscis, cupidamq; nitoris
Ingenui mentem, specimen quo prodere possis,
Se tibi suggessit ratio opportuna. quid æque
Sedulitate queas, quantumq; industria abundes,
Quæ commissa tibi patriæ res ista, probare

Sat poterit. porrò hæc prouincia sternere quibit
Ad maiora uiam. semel ut patefacta reluxit
Virtus, maiori se per momenta nitore
Deinde refert. donec summum splendoris adepta,
Inuidiam superat hominum, passimq; fauore
Excipitur. hinc totius ratio tibi uitæ
Prodit honestandæ: hinc quærendi maxima honoris
Vis pendet. causa ista tuis te reddet amatum
Ciuibus, intrepide, recteq; agitata. probatam,
Testatamq; palam uirtutem reddere causa
Hac potes, & causa potes hac notescere, qui sis,
Et quàm doctrina præstes, animoq; nitescas.
Ergo pro summo, quo sum tibi iunctus amore,
Proq; tui studio, quo tangor maxime, honoris
Hortor, ut huic causæ præstes te strenuum agendæ:
Et cures, ne quod lucri susceperis, ulli
Censeri queat exhaustum superare laborem,
Aut operam. ne quid studij desideret à te
Patria, fac caueas: fac ne quis iure queat te
Rodere, & officium iustè reprenhedere. porrò
Vt totum studium, & totum conamen in hanc rem
Impendas, curaq; omni adnitaris oportet.
Non solum patriæ ratio, quæ maxima, & urgens
Præcipue est, uersatur in hac ratione negoti,
Verum etiam tibi quærendi respectus honoris,
Vitandæq; calumniæ habendus. Quæ semel hæsit
Labes non facili demum perfricta labore
Diluitur. Qualis comprendit opinio quemque
Principiò, talis fermè comitatur eundem
Semper, & umbra uelut semper sectatur euntem.

Interea siquid per causam competit oti,
Si quid iustitij causa tibi temporis, æstu
Sub canis hoc rabido, uacuum conceditur, opto,
Huc paulum uenias, uisasq; parumper amicos.
Opto quidem, ut uenias, quoniam desidero tecum
Ad Castri tua rura noui concedere, quo me
Indemnem tanto seruem, tuearq; calore.
Nam quæ perflauit Casulanas hactenus aura
Collinas, æstu nimio impellente recepit
Se sursum uersus, montesq; fugata petiuit
Maiores, celsasq; uagatur tuta per alpes.

AD REGINALDVM POLVM CARDINALEM.

QVæ probitas in te Præsul reuerēde reperta,
Et deprensa fuit, quæ relligiosa trahendæ
Conditio uitæ, & quæ casta peritia legis
Diuinæ à nobis in te comperta, Tridenti
Dum fuimus, faciunt, ut te uehementer amemus:
Et te miremur ualde, qui, cum iuuenilis
Sis ætatis adhuc, tantum profeceris, & tam
Præstanti ratione gradum uirtutis honestum
Attigeris. nam quæ probitas, uirtusq; uigescit
In te, uix alias maturo quamlibet æuo
Præstari potuisse, foret credenda. tametsi
Regali sis stirpe satus, multisq; locuples
Diuitijs altus fueris, tamen in probitatis,
Virtutumq; uia sic tu reperiris abunde
Profecisse, ut quæ præstantia sanguinis, & quæ

Diuitiæ ſoleant alios ſeducere, deq́;
Tramite uirtutum, & de curriculo probitatis
Declinare, tibi tam prorſus nil nocuiſſe
Comperiantur, ut inde gradum tibi nobiliorem
Struxeris ad laudem, & cultum uirtutis. habetur
Inter mortales præſertim ſanguine claros,
Inſignesq́; opibus uirtus ſic rara, adeoq́;
Integritas inſueta, ut cum probitate niteſcas,
Et uigeas uirtute, opibus qui ſplendidus, & qui
Sanguine præclarus, magni nobis uidearis
Inſtar miracli, & laudem uideare mereri
Hoc maiorem, quò ſpecimen fers rarius, atque
Nobilius uirtutis. opes, quæ non potuere
Te prohibere, uiam quin uirtutum ſequereris
Et probitatis iter caperes, tibi paſſus es illas
Auferri, dum deficere à probitate recuſas,
Et de præſtanti renuis decedere cliuo
Virtutum: quin exilium tolerare, patiq́;
Inſidias uitæ, interitumq́; audire tuorum
Vis potius: quàm Regis conſentire nephandis
Dogmatibus, ueræq́; uia pietatis abire.
Quid non ille ferox, ac impius egit iniqui
In te? quidnam odij, quas non exercuit iras?
Quodq́; genus liquit poſtremò iniuriæ omiſſum?
Quin in te, moresq́; tuos uirtutis amantes
Sæuierit, quantum poſſet: nihilominus ipſe
Aduerſus quæcunque mali molimina Regis
Te conſtantem adeo, & firmum tribuiſſe referris:
Vt quarum cauſa pietatis, & integritatis
Oppugnareris, ſic non ceſſiſſe, ſuumq́;

Non liquisse locum memorentur, ut inueniantur
Vltra prouectæ, & longè spaciosius actæ.
Tu poteras, esses cum Regi sanguine iunctus,
Sublimem retinere locum, patrijsq; potiri
Diuitijs, multoq; domi splendescere honore,
Si palpare malos mores, Regiq; placere
Tentasses, rectaq; uia uirtutis abisses.
Sed dum uirtutis studio, cultuq; teneris
Relligionis: & à recto decedere non uis
Tramite uiuendi, priuaris rebus, opesq;
Perdis, & exilium pateris, patriaq; relicta
Cogeris, externis uitam traducere in oris.
Quis non hinc uideat, te Christi dogma secutum,
Qui quæcunq; forent tibi, cuncta reliqueris, & præ
Virtutis studio contempseris omnia; non est
Quin ideo speres, centuplum mox tibi planè
Esse rependendum, concedendamq; salutem
Perpetuam tribuente Deo, Christiq; benigna
Sufficiente manu. cum non curaueris ullam
Iacturam rerum, nec feceris unius assis
Quæq; facultatum dispendia, quò probitatem,
Seu Christum sequereris: erit, qui te neget esse
Discipulum Christi? dubitetq; Dei inter amatos
Te numerare uiros. utinam similes tui haberet
Concio rubra aliquos. utinam quæ relligionis
Cura tibi, cultusq; Dei, ratioq; trahendæ est
Vitæ, pluribus esset eorum, quiq; tenentur
Albo eodem. haud se concilij prouincia agendi
Difficilem præberet, opus nec forsitan esset
Concilio pro curandis malè habentis ouilis

Rebus: quas quæso, quantum potes, excipe agendas
Constanter, nullaq; habita ratione fauoris
Humani. confido tibi uehementer, & in te
Colloco spem summam, cuius mentem scio amantẽ
Esse Dei, & miro tangi pietatis amore.

AD IO. MARIVM DEMONTEVM CARDINALEM.

CVm primum coram uidi, sensiq; loquentem
Te uenerande pater, ualdè mihi uisus es esse
Difficilis, multumq; supercilij retinere.
Cum uerò te deinde adij, tecumq; locutus
Priuatim, te mitem animo, mireq; benignum
Inueni. quendam comi sermone decorem
In te complexum reperi, quandamq; loquendi
In te deprendi ingenuam, & multo sale plenam
Libertatem, animumq; boni studiosum, & amãtem.
Hinc toto exarsi confestim pectoris in te
Affectu, penitusq; tui sum arreptus amore.
Quæ miti, & facili grauitas admixta lepore,
Et quæ libertas animi, sale sparsa modesto est,
Id condimenti referunt, ut quenque palatum
Delectare queant, & gustum quenque iuuare,
Et captare. hilari sic conditum graue seruas,
Vt scita humanum fusum ratione seuero
Ostendens, animos tam ducas in tui amorem
Humano, quàm constituas, faciasq; seuero
Obseruantes. quæ tibi adest prudentia agendi,
Et quæ multiplicem euasit doctrina per usum

Promptior, efficiunt, ne cuiquam habeare secundus
Inter collegas penitus quoscunque, nec ulli
Cedere consilio, & prompto moderamine rerum
Credaris: quod perspiciens supremus ouilis
Pastor, & Antistes reliquorum maximus, ad rem
Concilij te tractandam delegit: & inter
Collegas te præcipuum decreuit, ut esses
Ex tribus unus, habereris tamen ipse trium sic
Maximus, ut docto præstares munere agendi.
Vnde prout tibi consilio præstare, cataq;
Arte gubernandi contingit, habere decet sic
Te rationem imprimis, præcipueq; negoti
Conciliaris. uti partes censeris in hac re
Præcipuas retinere, tibi sic acrius omni
Incumbendum opera; quò res feliciter ipsa
Succedat, finemq; apte tractata secundum
Obtineat. si quid famæ reris tribuendum
Esse capessendæ: si quid, qui tot bona gratis
Impendit, debere Deo te ducis, in hanc rem
Viribus adnixus contende: operaq; uirili
Nitere; quandoquidem nil aptius edere honori
Quærendo, famæ'ue potes: nil gratius, & nil
Maius ei præstare uales, cui quidq; bonorum,
Quæ retines, debes; quàm procurare fideli
Officio rem concilij, rerumq; sacrarum
Censuram, quæcunque laborare inueniuntur
Turpiter, & prauo oppressæ cernuntur abusu.
Ne spe nos fraudes, quam de te cœpimus, & ne
Vota Dei frustrata sinas, qui munus in id te
Elegit, cupiens per te, quem norit abundè
Prudentem,

Prudentem, & cautum, fieri, ut corrupta ſacrarū
Conditio rerum, applicito medicamine curam
Sentiat: affectumq; malum compage refecta
Ponat, & ad ſani rationem uerſa trahatur.
Huc igitur conuerte operam, totumq; laborem
Dirrige: nec deſis dum res in cardine, curæ:
Non tam, ſi quid habes, cuius ratione reus ſis
Factus ab exactis uitæ iuuenilibus annis:
Hac ſancta delere opera potes: officioq;
Hoc abolere pio: quàm ſummo iure mereri:
Et merito uincire Deum, obſtrictumq; tenere.
Quidquid in hac cauſa, qua nulla Deo ualet eſſe
Gratior, impendes operæ, ſtudijq; locabis:
Id Deus omne tuo æri aſcribet, & inde rependet
Fœnore cum multo: cum uenerit hora, dieſq;:
Et tempus fuerit ſoluendi nominis actum.

AD MARCELLVM CERVINVM CARDINALEM.

Vix poſſē memorare, pater reuerende, quid in te
Ebiberim affectus: quantumq; modeſtia uitæ
In ſtudium, cultumq; tui me traxerit: & quàm
Egregium ab mites mores contraxerim amorem
Erga te mihi uiſus ea pietate, Deiq;
Obſequio tangi: ut uere mereâris honorem,
Quem geris: & monſtres te reſpondere decenter
Perſonæ, quam ſuſtineas cultu reuerendam,
Et præpollentem diuino iure repertum
Gaudeo te talem: talem mihi gratulor eſſe

Te notum: qui præstiteris longe meliora:
Quàm concepta forent. cum noster Episcopus esses:
Et nunquam interea accessisses pastor ouile,
Visissesq́; gregem: penitus te rebar eorum
Ex numero, qui nil operæ præstando, uel artis,
Mercedem non erubeant adscire: lucrumq́;
Excipiant nullo suscepto, obitóue labore.
Hinc offendiculum graue inibam: teq́; fauenti
Haud quaquã accipiebã animo: nec sat bene de te
Censebam. idcirco tunc non curauimus ad te
Scribere, amicitiamq́; tuam captare, tibiq́;
Obsequium, studiumq́; meum deferre. uoluntas
Tunc infensa tibi potius, quàm dedita nostra.
Postquàm uerò tuis uerbis, sermoneq́; leni
Accepi, quæ causa tibi non præstitæ ouili
Curæ, nec uisi gregis, & noui propius te:
Et te perspexi, non solum moribus esse
Integris: sed mira etiam pietate calere:
Sum tuus effectus subito, totoq́; colendum
Te suscepi animo: ut pigeat non ante petitum
Te mihi amicitia, & non agnouisse prius te
Oblato obsequio. mihi sic grauibus placuisti
Moribus, ingenij sic mansuetudine, sicq́;
Puræ significamine mentis: uti uideatur,
Non paruam nos iacturam fecisse, per illam
Quæ commutato facta est translatio ouili:
Quàm cauto officij cupio præstamine tandem
Esse salutarem, ac gemino prodesse tenore:
Et tam proficientem ouibus, quàm cedere frugi
Pastori: optatumq́; Deo producere fructum.

Si quæ conditio morum sincera, piæq;
Integritas uitæ coram comperta, satisq;
Cognita: tam potuere animũ, mentemq́; mouere,
Vt dignus uideare mihi, qui maxime ameris,
Ac obserueris: quid erit? si munus agendo
Concilij, & sacri tractando salubria cœtus,
In causa fueris: quæ morum pene perempta
Sit probitas, ut restituatur: & integra uitæ
Conditio, quæ tantum non extincta sit: ultra
Inualeat, uigeatq; sacrum rediuiua per orbem.
Hinc in te miro quenq; inflammabis amore:
Et plus, quàm humanum tibi conciliabis honorẽ:
Nec te tam clarum merito, quàm laude nitentem
Efficies, summamq́; Dei quoq; gratiam inibis.
Per bis percussi rationem fœderis unà
Cum Christo, adstrinctamq́; fidẽ, tã muneris huius
Diuini, quàm sacri etiam ratione lauacri,
Quæso pater, solertem adhibe te rebus in istis
Concilij, Christoq; operam nauare placentem
Procura. nam tu magni censeris in hac re
Momenti, ualdeq́; opera prodesse tuapte
Posse putaris. eum summo cum Præsule, de quo
Summa rei pendet, fidei retinere ualorem
Diceris: ut multum possis suadendo, pieq́;
Hortando. Quare quo tu potes amplius, hoc plus
Debes: & quantò sentis maiore ualere
Te ui: curandum tantò est contentius: ut nil,
Cui te quanq; tuam penitus debere scias uim,
Et cui tantopere obstrictum te noueris: à te
Quod possis præstare, Deus desideret. ergo

Ardenti persta studio, & quantum potes, urge
Rem Christi, atq; inserui relligionis honori?

AD FRANCISCVM MARTELLVM.

FRater obit Martelle mihi carissimus: ex hac
Excessit uita frater: qui causa quietis
Totius nostræ fuerat, totius & oti
Illius, quo iam summa cum pace fruebar.
Hic me sollicito curarum fasce leuabat
Omni. nostrarum rerum retinebat hic omnem
Exacte curam. quæcunq; negotia, quæ me
A' studio, & dulci quirent reuocare quiete,
Excipiebat: eáq; fide tractabat, eáq;
Sedulitate ministrabat, qua propria, ni fors
Et maiori: tantus amor, tantum obsequium in me
Huius erat fratris, tanta obseruatio: ut ullum
Non euitaret, declinaretq; laborem:
Quo mihi rem gratam faceret, uel proficientem.
O' summam fratris charitatem. temperet ecquis
A' luctu, & lachrymis: & toto corde dolere
Abstineat: qui se tam proficientem, & amantem
Amisisse recordetur fratrem? Hic mihi frater
Sanguine non solum, sed consuetudine iugi
Fidus erat comes, obsequióq; minister. ab annis
Vnà enutriti teneris, studijsq; sub ijsdem
Detenti, peregrinati pariter sumus unà
Dissendi causa. semper quocunque locorum
Ire mihi placuit, uarios ratione magistros
Experiundi, urbesq; nouas studio inspiciendi:

Est me hilari consensu, animoq; lubente secutus:
Et nunquàm renuit, quo uellem, tendere. nunquã
Est aduersatus, quin se, quocunque uocarem,
Conferret. Donec studiorum causa alienas,
Vrbes externasq; domos habitare necesse
Extitit: in patria propè sum mihi degere uisus:
Dum cura istius fratris mihi commoda quæq;
Sueta domi, representantur: dum studioso
Hic meus officio frater nil linquit omissum,
Quo sciret se posse mihi prodesse: modoq;
Gratificari aliquo. studijs cum deditus esset
Is physicis, medicosq; libros tractaret, & ob uim
Ingenij egregiam multum producere fructus
Posset: & insigni cum laudis, & utilitatis
Quæstu proficere: ut uidit sumpsisse togam me,
Et respondendi de iure palàm mihi factam
Esse potestatem: sine me decedere, meq;
Linquere sustinuit neutiq;, nec officiosæ,
Quàm de me semel excepisset, deesse, tametsi
À me dissuasus, uoluit curæ. remanente
Ergo domi me quæq; domestica cœpit obire,
Et curare, nihilq; molestiæ inire sinebat
Me penitus. Ducta tum demum uxore, habitaq;
Prole nihil prorsus curæ, studijq; remisit
Eius, quod nostri causa, rerumq; soleret
Nostrarum præstare. suis quin nostra aliquando
Compertus præferre: meamq; suæ rationem
Sæpius est uisus præponere. si nihil ultra
Officij foret: ingentem quod fratris amorem
In me monstraret: potuit monstrare sat illud,

Quod mihi per menses ægroto quattuor olim
Præstitit, adsistens dum nocte, dieq; benigno,
Et patienti animo munus quodcunq; subibat,
Et quancunq; operam præstabat sedulus. ò quot
Insomnes noctes duxit: quantumq; laboris
Pertulit exactus momento quoq;. sed essem
Cum tunc affectus grauiter, lethumq; tenerem
Pro labijs: cur tam magno discrimine soluor?
Et mihi in hoc tempus differtur uita? uiderem
Vt cari mortem fratris: fratremq; peremptum
Aspicerem: quo equidem uiuente, quod istius esset
Vitæ non miserum posset, penitusq; molestum
Censeri. seruatus ego, qui nullius usus,
Et frugis fueram: quo conspicerem morientem
Fratrem: opera cuius solerti non minus usum
Publica, quàm priuata capessebant. ego tabe
Consumptus: tenuiq; animam uix corpore seruans
Viuo diu: seruorq; superstes: uti pereuntem
Intuear fratrem: qui firmo corpore, quiq;
Robustis membris foret. Heu præpostera rerum
Conditio humanarum. quis me crederet ægrum
Corpore, & inualidum tam sano, tamq; ualenti
Esse superuicturum fratri? febricitauit
Hic primum grauiter: quodamq; fuit sitienti
Correptus causone: cui dum forte bibendo
Intybi, & ordei aquam frigentem obsistere tentat
Assensu medici: uisus sibi frigiditatis
Quid contraxisse, ut fluxus succederet alui:
Qui sic principio est uisus prodesse: uideri
Vt posset cessasse febris, possetq; putari

Ipse ualens, liberq́;.fides contracta medenti
Firma erat,& nobis discriminis euitati.
Interea dum tam medicus, quàm nos reputamus
Saluum hominē: ecce repens febris se detegit,& ui
Obsidet assidua : nec tempore deserit artus
Correptos aliquo : cui mox uehemens diabete
Accedit, lotijq; albens desluxus , ut æstus
Noxalis simptoma foret,calidiq́; liquantis ,
Prostratæq; retentricis uirtutis.eò res
Processit,non sat medico aduertente periclum
Nec satis opportune succurrente;ut abundans
Præferret frater mortis discrimen. adisset
Cum iam ædes nostras:nostramq́; domum accessisset
Vltro : iudicium medici me exquirere de se
Exegit : quo, si uitæ dubiosa foret spes,
Consuleret rebus animæ,& testando caueret
Vxori,atque suis . medici simulatq; relatu
Accepi uitæ discrimen, ut ipse rogarat,
Admonui, ingenueq; omnem sum fassus ei rem :
Tam non accepto uitæ discrimine, quidquam
Territus, aut sensu est turbatus,ut exultantem
Se præstaret, & assereret lætanter abire
Hac uita: neque cuiusquam tædere rei se :
Nec se linquendæ sobolis,uel coniugis ulla
Affligi cura : nec quidquam obsistere,quin quod
Nosceret esse Deo placitum, gratumq́;,libenter
Efficeret . cui detegeret commissa , uocari
Confestim mystam iussit:cum quo simul egit
Confessu,quod opus : petijt, ut mane sequenti
Saluificans sacrum,quo sumeret,afferretur:

Quod uix exacta cum nocte petiſſet, ut ad ſe
Afferri ſenſit, uoluit deſcendere ſtrato,
Et genibus uoluit nudis occurrere, dicens
Indignum ſeruo non obuiam hero uenienti
Se ferre, & ſummo dominũ non proſequi honore.
Vix a me uerbis repreſſus, ea prece, eoq;
Affectu, & lachrymis ſacrum ſuſcepit, ut omnes
Solueret in lachrymas aſtantes, & pietatis
Ingentes ſtimulos exciret in omnibus. inde
Accito ſcriba ſtatuit nonnulla pienter:
Legatisq; pie factis ſoboli ſapienter
Cauit, & uxori, mihi quam cum prole puſilla
Commendatam unà iuſſit habitare, domiq;
Noſtræ cum cara mandauit matre manere.
Nulli defuit officio. eſt hortatus amicos,
Et conſanguineos, qui uiſum ex more uenirent,
Ad cultum Dei, & obſequium. memet rationem
Suaſit habere mei, uitæq; ſtudere tuendæ:
Donec ei, qui miſiſſet, reuocare liberet.
Fratrem me natu maiorem, qui ſupereſt iam
Ex tribus unus, abunde orauit, ut hoſpicij, quod
Eſt nobis gentile, piam curam gereret, nec
Quæ ſemel introducta forent, pateretur abuſu
Quoquam perfringi, aut uitiari, nec ſineret, quod
Perfectum aſſiduo, magnoq; labore ſuo eſſet,
Deficeret. Vetulam ſumma charitate parentem
Quæſiuit ſolans: ne mortem durius æquo,
Aſperiusq; ſuam ferret, quoniam in patriam iret:
In quam mox ipſi pariter foret adueniendum.
Plurima præterea non tam teſtantia pectus

Aduersus mortem constans, quàm insigne probamē
Mentis relligiosæ, animiq; ferentia puri
Protulit. Vt uires sensit decrescere paulò
Plenius, & mortem gressu properare citato:
Dimidia post nocte uidendi se studiosum
Ostendit nostri: quare accersitus ut ipsum
Accessi: iam res dixit mi frater in arctum
Est adducta. fide nunc, & constantia oportet
Vtamur. Volo subsidium mihi sacri adhiberi
Vnguinis aduersus uafri insidias inimici.
Hic mihi sistatur cupio, adsideatq; sacerdos.
Officium qui prestet, & excedenti animæ sit
Præsto, nec desit hortando, monendo, legendo.
Iussimus acciri mystam, cui cura sacelli
Esset: & admitti, quos ante duos uocitari
Mandaram cœnobitas: qui quidquid agendum
Succurrendi animæ causa prodire paranti
Corpore, præcipua, charitate egere, & amanti
Sedulitate. tametsi ego tunc male corpore firmus,
Affectusq; forem: tamen officio morienti
Fratri adsistendi non defui. eum ad retinendum
Christum animo confidendumq; Deo, ac animose
De bonitate Dei sperandum, hortando frequenter
Interpellaui, ratus in fratrem mei amoris
Non aliud maius præstari posse; nec esse
Officium, quàm curam animæ, studiumq; salutis
Ipsius retinere. Quod in te maxime amabam
Frater, erat morum candor: uitæq; modestæ
Integritas, & pura Dei obseruantia: quæ cum
Sint animi bona: causa animi mihi carus eras tu

Imprimis. quare non mirum, si quod amaui,
Dum sospes esses, te deficiente procurem
Id saluum. non defuimus fratri morienti.
Sed sibi nec frater moriendo defuit, usque
Præbuit attentas sacris sermonibus aures:
Et semper, donec potuit proferre loquendo,
Est quid diuinum interfatus. spiritum agebat
Extremum: cũ iam crebro ore, frequenteq; lingua
Se commendabat domino: quo in munere nũquam
Destitit, exhaurire imo de pectore donec
Eualuit uerbum. quin cum non amplius usus
Sermonis foret: os, linguamq; mouebat: & id quod
Non poterat sermone: animi, seu cordis agebat
Officio. post amissum ius, uimq; ferendi
Sermonis, non est adeo, multumq; moratus,
Quòd tenui uitam efflauit spiramine: quod tum
Hac dextra excepi incumbens. hac spiritum amati
Extremum fratris excepi dextera. obiuit
Sic mihi frater. adempta mei sic maxima cordis
Portio. sic uitæ extincta est pars optima nostræ.
Me miserum, mihi quis succurrerit amplius, & res
Curarit nostras? quis iam nostri rationem
Duxerit, & nostra obseruarit cõmoda? quis me
Reddiderit priuum curis, proprioq; labore
Ocia quæsierit mihimet tranquilla? quis inquam
Continuas mecum dulci traduxerit horas
Colloquio? cum quo studiorum arcana meorum
Protulero? in cuius pectus mea sensa locaro?
Quis mihi se comitem dederit, seu sacra petantur
Siue suburbani in secessum ruris eatur.

O' desiderium, & iacturam. commoda tecum
Tot mea frater amans rapuisti. tu moriendo
Quáq; uoluptatem nostram, quancunq; quietem
Turbasti. perijt mihi te pereunte, quod oti
In studijs fuerat. sacris iucunda uacandi
Commoditas libris defecit deficiente
Te dulcis frater, qui non solum moriens me
Priuum ope liquisti: mihi qua prodesse solebas:
Et qua læta mihi constabant otia: sed me
Cura etiam uxoris, sobolis, erumq; tuarum
Dimisisti abiens oneratum. tres mihi frater
Dimisit natas: quarum quæ maxima natu,
Nondum sex annos compleuit: quæ minima aũt,
Vix ablactata. ergo ego, qui degebam aliena
Sub cura: poteramq; minus superesse mihimet
Curando, atq; meis: curis à fratre relictis
Tot potero satis esse? meas cum pondero uires,
Cumq; mei tenues neruos expendo uigoris,
Diffido penitus persistere posse ferendo
Tanto oneri, & tantæ tolerare incõmoda molis
Posse. sed interea dum cogito fratris amorem,
Et merita in me ingentia: perpendoq;, Deo quàm
Sit gratum, ut tueamur pupillos, uiduasq;:
Sumo animos, nec diffido, quin sit Deus ipse
Suffecturus opem; uiresq; daturus in hanc rem:
Quod plane ut faciat, tu frater, quem puto prorsus
Pro mentis pietate tua, integritateq; uitæ
Adscitum cœlo: sedesq; tenere beatas:
Posce, fauensq; roga. curas quascunq; subire,
Et quoscunq; tuorum causa ferre labores

Contigerit mihi, fac rogitando cedere tandem
In lucrum, meritumq́; salutis. sicut amasti
Me frater, multamq́; mei rationem habuisti:
Dum mecum hic uitā traheres: sic quæso mei nūc
Sis memor, & nostrum serues constanter amorem,
Et curam nostræ ducas, habeasq́; salutis.
Dum felix istic uiuis, fruerisq́; beata
Vita, procura frater dulcissime, ut æque
Istuc adueniam, & tecum deducere uitam
Istic perpetuò possim. prout una uoluntas,
Vnaq́; conditio uiuendi ambobus erat tum,
Cum uitam hic ageres: sic non permittito, quantū
Impetrare queas: ut me diuersa locorum
Excipiat regio, aut alias, quàm quas colis, istas
Cœlestes, oras habitem, una, eademq́; beatæ
Sit nobis uitæ ratio, desidero. tantò
Gratior extiterit, quæcunq; beatio nobis
Continget, quantò de consuetudine maius
Mutuo fraterna capiemus gaudium. agendo
Hic uitam si tristia quæq;, molestaq́; cuncta
Dulci mulcebamus consuetudine, & omnis
Difficilis casus nobis uiuentibus unà
Esse uidebatur leuior, quam ducere nobis
Acciderit uitam simul in regione beata,
Plenior hoc gaudi fuerit, quod ducet uterq;
Esse suum, quodcunq; boni spectarit adesse
Alteri. ut exoptem te frater uisere, & istuc
Abrupta quacunq; mora prodire, mei ius
Respectusq́; boni, desideriumq́; fruendi
Te faciunt. Charitas uerò, pietasq́; mea erga

Magna tuos facit, interea ut tolerem hic patienter
Viuere, & æquo animo uitam proferre: quousq;
Officio nostro indigeant, operáq; necesse
Nostra habeant. sine te quamuis hic uiuere frater,
Qui nostrum columen fueras, instar uideatur
Esse mihi mortis, uel morte molestius omni:
Et quamuis nil sit, cur priuatus requiete,
Et septus curis uitam traducere curem:
Cum tamen arreptum diuina lege fuisse
Te nobis perpendo: uoluntatisq; fuisse
Diuinæ, ut nobis uiridi rapereris in æuo:
Duco quiescendum esse mihi, & patienter agendũ.
Vt fatear, turbor quandoq;, libetq; licenter
Quærere: cur si deniq; nostra quies studiorum,
Nil, nisi diuinum quærebat sedula honorem:
Nec quid tentabat, nisi scriptis quemq; iuuare:
Tot mihi sunt obiecta incommoda? totq; modis est.
Ipsa quies turbata? quid ultra, si pietati
Frater erat multum exercende deditus: & se
Multum munificum præbebat, & officiosum
In diuina, inopesq; homines, tam cõmodus, & tam
Vtilis in graue detrimentum plurium ademptus
Tam cito morte fuit? sunt hæc abscondita magni
Iudicia, & consulta Dei, quæ dum nequid anceps
Mens hominis capere, incurrit plerunq;, subitq;
Sæpe offendiculum, quod plane exopto cauere:
Quod prorsum ut possim, rogo te Martelle preceris:
Dum facis, & sacras peragis mysteria ad aras.
Opto etiam, qui te propiori conditione
Ad diuina refers, ut opem, auxiliumq; labori

Cœlitus huic nostro implores: auramq́; potentem
Numinis impetres, ut possim ferre, quod urget,
Ponderis, & pretiũ, ac quæstũ inde referre salutis.

AD TRES LEGATOS CONCILII.

CVm domini patres reuerendi uinea uobis
Tradita sit curanda: operã præstetis, oportet
Solertem in primis, ut pastinata putetur
Recte, & luxuria penitus soluatur ab omni.
Sarmentum, quodcunq; superfluit, eradatur.
Dirrectos releuata solo redigatur in antes:
Totaq́; claudatur circum munimine forti
Maceriæ: ne pauperiem dare quadrupedantes
Ingressæ possint: auidusq́; nocere ferarum
Impetus. est apri uis excludenda ferocis
Ne noceat. prohibenda feri est uiolentia, more
Ne solito depascat eam: rabidoq́; furore
Proterat, & sæuo rictu populetur. ab atra
Ille ferox sylua est solitus prorumpere, & intro
Sepe penetrata passim se inferre, suisq́;
Adductis unà catulis generosa flagella
Quæq; uenenato corrumpere dente. pepercit
Nullis uineti rebus, damniq́; reliquit
Nil intentatum rabies immanis apri huius:
Qui per se, catulosq́; minus contentus obesse,
Quasq; feras aditu patefacto, & sepe forata
In prædam illexit. Vos, qui prouinciam habetis
Vineæ ad ornatum, cultumq́; suum redigendæ:
Est opus, ut curetis aprum compescere, ne se

Vinetum tuto praedari, impuneq; posse
Confidat. Domini mitis patientia fecit:
Vt tantum ferus ille sibi contraxerit ausus,
Vt quodcunq; suo discerpat iurei, modumq;
Non teneat uastando aliquem, nec quid uereatur,
Aut timeat, quin efficiat, quaecunq; libido
Suadeat irrationalis. Vos cauta uoluntas
Elegit domini, qui curam restituendae
Vineae haberetis. ne quid linquatis omissum,
Praeteritumue, quod expediat, conferreq; possit
Conficiendo operi, quod uestri muneris, atq;
Officij existat, tam uobis prospiciendum,
Curandumq; patres, ut quantum gratia uobis
Accepta est domini, tantum contendere par sit
Viribus, & nullo conatu deesse. quod autem
Noueritis facere ad rationem uineae: obire
Tam nulla uestri ducta ratione pericli
Id debetis, ut ex omni discrimine, siue
Iactura sitis domino tradente habituri,
Capturiq; bonum. Vos ergo sumite fortes,
Audentesq; animos, nulloq; timore sinatis
Vos deterreri, quin uastatae caueatis
Vineae: aprumq; uolutabro extrudatis, & extra
Septum exturbetis. Vos indagate, lociq;
Perpetuam plagam perquirite, ne qua ferarum
Subsidat pestis, lateatq; proterua, nocensq;
Bestia. sic septo uinetum claudite, & oram
Quanq; loci sic maceria circundate; solae
Vt uolucres intrare queant: nullumq; ferarum
Quadrupedumq; genus possit superare. cauendum

Præcipue ne quis, nisi quem domino placiturum
Noscitis: ingressus seruetur. oportet, ut ante
Omnia decretum domini exploretis, & ut rem
Omnem ex arbitrio domini faciatis. in eius
Obsequium totis contendite uiribus: & nil
Humani curate odij: nullumq; fauorem
Pendite mortalem. Domino uos cura placendi
Detineat, quantum cura studioq; potestis,
Quærite gratificari, cui res uitam, & honores
Omnino debetis, & à quo quicquid habetis,
Seruatisq; boni, gratis cepistis. ut isti
Rem facere acceptam studeatis, non habitorum
Gratia tam poscit, quàm spes oblata requirit
Maxima habendorum. tam uinea grata, placensq;
Hæc domino, ut præ rebus ei dilecta feratur
Omnibus. Is mundi conclusas iure suo cum
Res habeat cunctas: tamen est possessio nulla,
Quæ sit grata æquè, quàm istius uineæ: adegit
In sulcum proprijs manibus, dextraq; suapte
Seuit eam, quam mirifice indemnem cupit, & uult
Saluam; quocirca duxit uos instituendos
Ex alijs, qui præcipue curam reparandæ
Eius haberetis. quàm uos incumbere, quàm uos
Adniti deceat, pro tam grata domino re
Expedienda, uix proferri, uixq; notari
Possit. si rerum rationem expenditis, unde
Obstricti domino tantum pendatis, & unde
Tam bene promeriti dominum obstringatis, habetis
Nequaquam. tanti ratio censenda negoti
Est huius uobis: ut si profundere uitam

Idcirco sit opus, non detrectare sit ullo
Conueniens pacto. uobis neutiq; timenda
Vastatoris apri feritas, uesana ferarum
Formidanda minus uobis audacia. dum rem
Vineæ agatis, & obsequium domino impendatis:
Non est curandum, quantum uitæ subeatis
Discrimen. uobis magni iactura triumphi
Instar erit, quæcunq; subibitur hac ratione
A uobis. Quin hinc tam nil contingere tandem
Iacturæ poterit uobis, ut summa uoluptas,
Summaq; uel uita amissa sit suscipienda
Vtilitas. uos pro fragili, subitaq; perennem
Vitam, pro misera, perturbataq; quietam,
Felicemq; capessetis. Deus omnia uobis
Restituet meliora. nihil sine fœnore pro se
Impensum sinet à uobis. occasio, quæ se
Obijcit insignis lucri, ne prætereatur,
Opto, rogo, ne linquatis tantum utilitatis
Præteritum uestræ, tantumq; boni toleretis
Amissum, quod respiciat uos uineæ agentes
Rem, patrociniumq; ferentes relligioni.

AD IOANNEM MARIVM DE MONTEVM CARDINALEM.

DVM plus, quæ sensus, præsul reuerende mouent nos,
Quàm quæ sunt animi, & rationis: ut afficiamur
Præcipue humanis rebus, summoq; labore
Quæramus, quæ præsentis uitæ esse uidentur,

E uenit. Hinc artes, seu præcipue manuum sint,
S eu sint ingenij, sic exercentur, ut omnes
A d uitæ rationem præsentis redigantur,
P ropositũq; habeant nil præter quæstũ, & honoris
H umani fucum. quin iam peruenit eò res,
V t quæ sint alias pietatis propria, quæ'ue
R espiciant ipsam charitatem munera, fucum
A dmittant, lucriq; habita solum ratione
P ræstentur. hominis tantum peruersa libido,
I mprobitasq; insana potest, ut non modo, quæ sunt
V su, & natura promiscua, quæ'ue mali tam,
Quàm boni habent indistinctam quãdã rationem,
D etera fiant, & prauum redigantur ad usum:
V erum etiam, quæcunque boni retinent genuinum
I us, corrumpantur, deprauenturq; nefande.
N am qui sunt sacri natura, & origine honores
O ptimi, & addicti officijs pietatis agendis,
A tq; exercendæ charitati, hominum improbitate,
N equitiaq; mali quæstus, lucriq; sequestres
S unt facti, præstantq; ministerium impietatis
C omittendæ. nam quoties humana uoluntas
S ensibus in prædam se dat: nihil ordine sanctum
E st adeo, nihil est adeo ratione statutum
D iuina, quin fine suo fraudetur, & usu
H umano non inficiatur. tam ualet ad rem
C orrumpendam hominis nequã, et uitiosa cupido,
V t quantò res ipsa pij plus continet, & plus
P ræsefert sancti, tantò sibi commodiorem
E ius prætextu, peccandi contrahat ansam.
H inc non est mirum, si qui sacris potiuntur

M uneribus, sacrosq; gerunt Ecclesiæ honores,
T antò deterius committere comperiuntur:
Quantò maioris retinent ius muneris. unde
D eberet meritum, uirtusq; excrescere, maius
I nde fit, & grauius peccatum. quò potiori
I ure quis insignem se fert, hoc turpius errat,
E t grauius peccat. quantò præfertur honoris
C onditio maior, tantò grauiore subitur
D elictum noxa. simulatq; licentia magni
P rætextu iuris suffulta reliquit honesti
F ines, & liciti, metam trascendit: habere
D einde modum nescit. quo fit, ne peius agatur
I nter mortales, quàm quod contingit agi per
R ectores rerum, curatoresq; sacrarum,
Qui non tam ratione rei, qua non nisi summe
P eccari possit, quàm causa prouenientis
E x iuris fuco excessus, quàm maxime habentur
S ontes, quorum etiam fit eo peccatio peior,
Quòd quos exemplo, & monitis curare profanos
D eberent, morbo inficiant, cogantq; perire:
È quorum manibus commissi animas gregis æquus
E xiget extremo iudex Deus. expedit ergo
S ũmopere, ut sacrorum hominum de rebus agatur
Quæstio, & expendat mores censura malorum
P rimatum. grauitas noxæ facit, ut mereatur
N il æque plecti. facit acti publica damni
C onditio, ut nil æque conferat emendari.
S i tantò peius delictum quodq; putandum est,
Quantò res hominis uitio sincerior, atq;
S anctior extiterit corrupta: tenacius esse

Si nihil apparet uitij, quàm quod semel hæsit
Nullo iure rei suadente, sed auspice solum
Nequitia, nihil in rerum peccamine, nil est
In noxa humana, quod postulet acrius in se
Iudicium, exactamq; magis sibi cognitionem
Exposcat, quàm quod sacra committitur in re,
Et quod peccatur sacris pastoribus. in te
Cum sit concilij causa suffragium abundans,
Non minus exhibeas te condemnando seuerum,
Quàm circumspectum nil contriuendo, necesse est.
Non magis est opus, ut temet præstes oculatum,
Quàm statuas animosum. nullius tibi pluris
Gratia ducatur, quàm Christi. habeas rationem
Relligionis, & imprimis studeas Dei honori
Inducendo, hominumq; saluti restituendæ.
Ne disceptando absumi tempus patiare:
Nec uanis de rebus agi, quæriq; caprina
De lana. de muneribus sacris statuatur
Quæstio, de factis hominum censura sacrorum
Fiat, & infectos mores notet integra; quod si
Confectum recte fuerit, nihil est dubitandum:
Quin cessent, quoscunq; parit Germania, motus.
Os occludetur prauis, si praua recedant
E medio, prauosq; exæquet regula mores.

AD REGINALDVM POLVM CARDINALEM.

HVmani affectus duplex motus memoratur
Esse pater reuerēde, unus, qui primus hētur

Ac alter qui censetur, ferturq́; secundus.
Primus corporeæ compagi ita motus adhæret:
Vt subito sensum percellat, & inijciat se
Externo rerum impulsu productus: ut omnem
Actum præuertat rationis, & irruat ante,
Quàm ratio examen quodquā ferat, ac adhibere
Iudicium possit. qui motus uerò secundus
Fertur: habet sanè rationem præuenientem,
Sed quam conculcet, subigatq́;, nisi caueatur
Exacte. cuius rationis iudicium, atque
Consilium primus motus præuertit, eandem
Mox aduertentem, consultantemq́; secundus
Insequitur, geminos nimirum respicit hosce
Motus uirtutis triplex species. ratio dum
Se contra motum præbet, præstatq́; secundum
Victricem, species uirtutis conditur una,
Qua moratus homo efficitur ciuiliter: & qua
Ad purgandum animus fit commodus: altera uerò
Conficitur species uirtutis: quatenus ultra
Progrediens ratio necat, euellitq́; secundum
Motum defecando animum, reddendoq́; purum.
Quòd si purgando tam proficiatur: ut omni
Si non parte queat tolli, saltem reprimatur,
Accipiatq́; modum primus modus, species fit
Tertia uirtutis, quæ purgati perhibetur
Esse animi. si quis tantum profecerit, ut non
Tam compescuerit, debellaritq́; secundum
Motum, quàm refrænarit moderamine quodam
Primum etiam, is felix fuerit, similemq́; Deo se
Præstiterit ratione aliqua. nam cum Deus omnis

Exemplar ſit uirtutis, uirtusq; ſit ipſa
Exiſtens : quo quis fuerit uirtutis adeptus
Amplius, hoc propius diuinum accedet, & ipſum
Effinget, referetq; Deum. ſi ſola beatum
Conſtituit uirtus hominem : uirtute refertur
Si ſola Deus, is fruſtra prætenderit in ſe
Diuinum, ſeſeq; beatum ſiuerit ab re
Proferri, qui quamuis ſummos geſtet honores,
Nil tamen obtineat ſolidæ uirtutis. honorum
Faſtus, opumq; ubertas tam nequiere beatum
Quenquam, aut diuinum facere, ut faciãt rationẽ
Viuendi miſeram : atque hominem reddãt alienũ
A re diuina. uirtutis munere ſolum
Fit diuinus homo. ſola uirtute Deo ſe
Reddit homo ſimilem, & certa ratione beatum
Se facit: eſt uirtus, quæ motus comprimit, & fert
Pacẽ animo, et ſincera homini oblectamina præſtat:
Quæ ſi conditionis eò proceſſerit, ut ſit
Expurgati animi, motumq; expugnet utrunque:
Eſt perfecta, ſuoq; propinqua fit exemplari:
Ac tam diuinum, quàm felicem facit. hac ſi
Præditus exiſtat quiſquam uirtute, beatam
Vitam traducit, uiuitq; immotus ab omni
Affectu rerum. ſibi conſtans is nihil horret
Aduerſi, nihil agnoſcit, captatq; ſecundi:
Diuitias ſpernit, faſtus contemnit honorum:
Et nihil humanas pendendum res putat eſſe.
Qui uerò uirtute adeo profecerit : ut res
Aeſtimet humanas nihili, & contemnat honores:
Is porrò dignus fuerit, cui fiat honorum

Copia præcipue, & rerum tradantur habenæ.
Hinc fit præsul, uti cum te uirtute nitere
Publica fama ferat, multumq; tenere subactis
Motibus integri, cupiam uehementer, & optem
Communis ratione boni, te munere fungi
In populos summo, summáq; capessere rerum.
Si te diuinum uirtus sincera, Deoq;
Conformem redit: cur non diuina potestas,
Resq; Dei tibi præcipue exercenda per orbem
Competat? omnino spero, fidoq; futurum,
Quod cupiam. tibi uaticinor uirtutem habituram
Interdum, quo se pandat, semetq; ferendo
In lucem uulgo prosit, passimq; salubrem
Fundat opem. planè uideo fore tempus, ut hæc, qua
Tecum nunc solum frueris uirtute, palàm se
Dedat, & exemplo fructum producat, & actu.
Interea, quodcunq; tenes, seruare procura
Integrum, perstaq; Deum uirtute referre:
Donec se pariter referendi munere præstet
Commoditas, surgatq; uices occasio agendi.
Præterea pro iure pio, uirtuteq; pura,
Qua diuinus homo ferris, quæso meliorem
Mi uitam impetres, noxisq; salubre piamen
Obtineas: precibusq; tuis me crimine soluas.

AD MARCELLVM CERVINVM CARDINALEM.

Qvum sim priuatus, quũ sim Ceruine profanus,
Me peccare refers, præterq; mei rationem

Officij facere affirmas: dum facta sacrorum
Corripio procerum: uestrosq; redarguo mores.
Cum mea legisses impressa uolumina: meq;
Pontificem, & proceres sacros taxare loquendo
Ingenue deprendisses: conuentus in urbe
Concilij, quæ conditio, fortunaq; nostra
Esset quæsisti: nobisq; excire pudorem
Coram tentasti, dicens non prætereundos
Cancellos, nec fines conditionis honestos
Esse mihi transmittendos, nec quid minus esse
Conueniens, quàm pontificum me facta notare,
Et me de uita censuram ferre meorum
Maiorum. cum uerò Deum testarer, & omne
Cœlum, quod facerem, studio me relligionis
Id facere, ac pietatis: & inuidiæ nihil, atq;
Liuori deferre: mihi munus pietatis
Id respondisti proprium fore: si rogitarem,
Oraremq; Deum pro delinquentibus, ut se
Emendent, & praua uiæ uestigia linquant.
Nil tum præterea curaui dicere, nilq;
Contra respondere: locus quoniam mihi uisus
Non satis exigere, aut tẽpus. rem pluribus ultra
Haud quaquam uerbis defendere perstiti, abunde
Me tutum ratus ex animi ratione sibimet
Conscij. at interea ne me fecisse rearis
Quid temere, aut præter rationem, quatenus in uos,
Pontificesq; aliquid scripsi quandoq;: tueri
Rem ratione aliqua experiar. dum credis agendum
Esse mihi solum precibus, solumq; rogandum
Esse Deum: quo uos meliores reddat, opinor

Non ſatis apprendi, quæ mutua proficiendi
Inter mortales ſolertia debeat eſſe:
Et quæ profectus faciendi norma ſit apta.
Quiſq; ſuo pro iure tenens in corpore partem,
Et membrum referens, adniti debet, ut uſum,
Quantumcunq; poteſt, præſtet: ne quid patiatur
Iacturæ corpus, ne qua uel parte laboret.
Quandoquidem pro connexi ratione uigoris
Corporei, nil quit damni contingere membro,
Quin aliud membrũ patiatur. cum ſim ego mẽbrũ
Corporis, aſpiciam ſi nobiliora pati quid
Membra mali, cur non ſtudeam ſuccurrere? cur nõ
Quàm poſſim, cupiam prodeſſe: redundet eorum
Cum detrimentum in compagem corporis omnem:
Et me reſpiciat pariter. quòd uerò ſit aptus,
Conueniensq; tenor, quem ſeruo corripiendi,
Taxandiq;, poteſt facile apparere: putatum
Si fuerit, quanam ratione, modisq; quibuſnam
Expediat reuocare hominem de crimine, deq;
Peruerſo errandi deducere tramite. uerbis
Eſt opus, & monitis: quoniam qui morbus inhæſit
Per ſenſus animo, curari debet eiſdem
Senſibus applicito medicamine. ſemper ut adſit,
Orandus Deus eſt: qui quamuis omnia per ſe
Poſſit, & emendare hominem ſubito immutato
Propoſito ualeat: tamen utitur ordine quodam
Omnibus in rebus, mediisq; agit inſtrumentis.
Si ſuffecturam prorſum orandi rationem
Chriſtus opinatus foret: haud quaquam ſtatuiſſet
Fratrem corripiendum eſſe, alloquioq; monendum

Acriter extremo, si non resipiscat. Apellam
Non Regem orando uates, sed corripiendo
Mouit, & exemplo reprensum, criminis egit,
Ostenditq; reum. quamuis populi ille foret Rex,
Et pastor, nec doctrina præstans minus esset,
Quàm gestis rebus celebris: tamen effecisse
Absurde non arguitur, quisquis popularis,
Ac priuatus homo increpuit, uerbisq; monere
Curauit: qui si iussu fecisse feratur
Diuino: nihil est, quin præcipiente Dei sit
Censendum fieri, quidquid contingat amanter,
Propositoq; pio fieri. non uerba sonanti
Ore Deus profert, sed mentem appellat, & ore
Se fundit sinceri hominis. reddit monitorem
Legitimum sola integritas. auferre decenter
Festucam ex oculo alterius tentabit, abegit
Qui prius ex proprio festucam lumine. nullum
Censura uentosus honos, prætentaq; iuris
Conditio exoluit. quantum quis peccat, & errat,
Tantum se subdit, tantum se deijcit infra.
Et si Petrus erat princeps, primasq; tenebat
Inter discipulos partes, tamen est reprehensus
A Paulo: qui se quodam referebat abortu
Susceptum. increpiti scribæ, nec non pharisæi
A Christo, quamuis summas in lege cathedras
Adscirent. quin immo piscatoribus idem
Christus eos tribuit taxandos uilibus. ullo
Spiritus ipse Dei conclusus limite non est,
Non personarum certa se conditione
Continet angustus, non plaudit honoribus, & non

Ambit summates, sed se diffundit agitq;
Per quoscunq;,animi quos integritate nitentes
Nouerit, & puros uita. uos ista profecto
Corripiendi alios prouincia respicit, at dum,
Qui deberetis, non estis, iure caretis,
Quod uobis alioqui competat.hinc cadit,ut quod
Muneris existit uestri, cum uos nequeatis
Fungi, qui possint, in uos fungantur. id autem
Indigne tam non decuit uos ferre, ut amicos
Vobis,& uestræ studiosos utilitatis
Valde censendi sint se præstare, monendos
Qui uos procurens, uestrisq; fauere recusent
Palpando noxis. hi dum sanare monendo,
Atq; reprendendo cupiunt, curantq;: pienter
Se præstant, & Christi dignam relligione
Rem faciunt,à qua præbere uidemini abunde
Auersos uosmet: dum quæ peccata sciatis,
Dignáq; damnatu, committitis,& tamen ægre
Fertis, & indigne damnari uosmet eorum
Causa, aut reprendi. quæ praua tenaxq; mali uis
Hæc est? ut detrectetur cura, & male habere
Delectet: palpetq; sibi male habendo laborans.
Cui uitium placet, is causa uitij patienter
Non tolerat se reprendi. persistere qui uult
In uitio, monitorem odit, renuitq; notari.
Qui fragilis causa naturæ peccat, is ægre
Fert se peccare: & monitis sic porrigit aures,
Vt grate accipiat, penitusq; agnoscat amicum,
Qui moneat. satis interea scripsisse sit ad te
Hæc præsul, pro nostra obiter, modiceq; tuenda

Causa:quæ si uisa minus fuerint aliquando
Sufficere adgrediar tractare uolumine causam,
Et patrocinium sermone subibo soluto.

AD IO. MARIVM DEMONTEVM CARDINALEM.

CVm Mediolano, Antistes reuerende, redirem
Ticinū uersus:comitesq; forent mihi ami=
Carolus,& consanguineus Simeon:subeūte (cus
Nocte,nec occurrente aliqua, quæ cōmode haberet
Nos caupona,locum diuertimus in uicinum
A cœnobitis habitatum ditibus. huius
Fama etiam celebrata loci nos inspiciendi,
Spectandiq; auidos effecerat. hospicij spem
Attulerat certam tum relligio monachorum
Credita:tum pia principis intellecta uoluntas:
Qua non tam monachis census statuatur alendis:
Quàm decernatur humaniter accipiendis
Hospitibus prouentus.equos monstrante ministro
Cœnobi quodam stabulo indideramus: eosq;
Fasce leuaramus rerum: cum pectus ad imum
Protensus barbam monachus sese tulit ante
Vestibulum claustri aduersum, quidnā peteremus
Exquirens rigide:cui cum de more loci nos
Hospicio admitti dixissem uelle: negauit
Morem: nec quoquam contendit iure locum esse
Obstrictum hospicio. cum nos suaderet abire:
Hospiciumq; aliud perquirere:eum rogitaui,
Vt quid præfecto, Abbati'ue referret:& eius

Sensum exploraret: quod cum foret impetratum
Difficile: accessit non paruo temporis acto
Curriculo præses monachus: qui non minus ipso
Agrestis uultu, quàm uerbis horridus inquit.
Quid statis frustra? erratis, falsóq; putatis:
Si quo iure locum hunc uos creditis accipiendis
Obstringi hospitibus. retro comites abiere,
Non uerbis minus indignati, quàm stupefacti
Præsidis. at qui fessus eram, languensq; uerebar
Ignotas tentare uias, equitareq; nocte
Obscura: constans precibus, firmusq; rogando
Perstiti: & hospicium si nollet tradere iussu,
Mandatoq; hominis: saltem præstaret amore,
Intuituq; Dei, oraui. monachus nihilo plus
Motus amore Dei, quàm causa, & lege uolentis,
Testantisq; hominis, dites nos esse ferebat,
Posseq; cauponæ impensam perferre. fateri
Nos dicebamus, non paupertate coactos
Concessisse illuc: sed causa noctis obortæ,
Visendiq; loci uenisse. nihil petere ultra
Tectum: cuius causa si prætendere quidquam
Damni etiam uellet: pretio nos esse soluto
Sarsuros. adeo precibus humaniter egi:
Constanterq; adeo excepi responsa molesta:
Vt quem relligio, aut hominis suprema uoluntas
Flectere non quissent: tandem summissa rogantis
Flecteret improbitas. monacho, qua fronte carebat,
Induxi, dum me rogitando præbeo prorsus
Exfrontem. rigidam mentem, pectusq; ferinum
Tandem expugnaui monachi. certamen iniui

Asperius multò, quàm quod Brittanus iniuit
Parmæ olim collega tuus: quamuis fuerit res
Illi cum pullis, mihi cum candentibus. ò rem
Indignam ratione hominis, nedum monitis, uel
Traditione pia Christi. prodesse roganti
Non homini consentit homo. qui tot bona pleno
Christi iure tenent: poscentem nomine Christi
Auersantur. ut interea quid relligione,
Quam profitentur, agant dignum: si se charitate
Expertes præstent, planè non sentio. nulla
Conueniens ratione puto: ut Christi bona, resq;
Possideant, qui se Christo exhibeant ingratos,
Nec parte ex aliqua respondentes charitati
Se præstent Christi. qui fucum relligioni
Impingunt, qui prætenta pietate saginæ
Corporis indulgent, non amplius expedit, ut quos
Prouentus male distribuunt: & de quibus ansam
Peccandi arripiunt, hos permittantur habere.
Hos tantum pollere opibus, tantumq; tenere
Rerum, ut cum uiuant Epicuri more, fluantq;
Luxu: sint alij, qui mendicare, cibumq;
Quærere cogantur: sic non est conueniens, ut
Sit summe iniustum. ualde mihi displicet inter
Asseclas Christi rerum possessio dispar.
Hos ingens agitat transuersos copia rerum,
Aegre lata illos uictus deprauat egestas
Aequentur census. cœnobia quæq; habitantum
Ex numero reditus habeant: quicunq; necessi
Sint uitæ parce penitus sanctèq; trahendæ.
De medio referantur opes, largiq; adimantur

Prouentus: si uita placet sincera, piæq;
Relligionis honos. uictus causa caueatur
Omnibus, & non sint, qui mendicare sinantur.
Omnibus ad uictum frugi, quæcunq; redacta
In paucos, benè sufficient. hæc scribimus ad te
Antistes, ad quem spectat tum publica quodq;
Concilij causa, cui præsis, cura trahendi
Ad sanum: tum priuatim censura quibus nos
Offensi simus, monachorum: cum gregis eius
Sis pastor: curamq; habeas eiusmodi ouilis.
Fastum, & diuitias, quæ relligionis acerbæ
Sunt pestes, Christoq; repugnant maxime: ademptas
Ablatasq; opto, quæ si tollantur, erit nil
Præterea, quod non facile admittat medicamen:
Et facili cura ad sincerum non redigatur.
Quis frustra quærit morbum sanare, priusquam
Auferat è medio causam: nisi causa mali sit
Affectus restincta, cadit curatio inanis:
Et labor incassum medicaminis omnis initur.

AD CORNELIVM EPISCOPVM.

INter eos, quos uisi, conueniq; Tridenti
Præstantes uirtute uiros, reuerende fuisti
Tu quoq; Corneli: qui quamuis cognitus esses
Nomine, & auditus celebrari sæpius à me:
Es tamen optanter præsens conuentus, & ipsa
Agnitus ex facie. de te quæcunq; referri
Præclara audieram, tam doctrinæ ratione,
Quàm prompti causa ingenij, præsentia uera

Sic ostendit: ut inferior re fama uideri
Posset, & agnosci res ipsa excedere famam
Quanq;. sed ingenium præter, præterq; redundans
Doctrinæ genus, est in te comperta benigna,
Quædam conditio morum, mansuetaq; quædam,
Atq; hilaris uitæ species: qua quenq; mouere
In tui amorem possis. Hac sanè tibi sic me
Deuinxisti, sic me traxisti in tui amorem,
Vt non solum animo te seruem, meq; tuimet
Assidue præstem memorem, cupidumq;: sed optem
Valde etiam mihi præberi, offerriq; quid ansæ:
Quo tibi significare uoluntatem meam amantem,
Percupidamq; tui possim. nihil arbitror esse
Tam graue, tamq; labore refertum difficili, quod
Non essem subiturus: opinarer modo gratam
Me rem facturum tibimet, uel proficientem.
Vt te mirifice complector, amoq; calenti
Affectu: sic opto tibi benè consuli, & omni
Cautum esse officio. desidero, ne quid agatur
Aut prætermittatur, quod præter rationem
Muneris existat, quo præditus es. speculator
Cum sis, & pastor gregis, obseruare acie acri,
Est opus, & cura solerti pascere oportet.
Est opus, obserues præsens, ne quid subeatur
À grege damnosum. sana pascaris oportet
Doctrina, quicunq; tibi grex creditus. unde
Si quando munus sermonis publice habendi,
Tradendiq; palàm diuina, palàmq; docendi
Relligiosa iniisti, nunc te maxime inire
Conuenit; obstrictus cum sis ratione gregis, quem
Commissum

C ommissum retines, nimis absurdum fuerit, si
Quod iam præstiteris, nequaquam debitor: id nunc
S oluere, cum temet noscas debere, recuses.
S i uis te saluum, si uis præstare, quod ad rem
P ertineat: tibi commissi ducas rationem
M uneris, & credas quidquid præter rationem
P ascendi gregis, atque tuendi sumis agendum,
E xtra oleam esse. gregis pascendi munus, ut absis,
N on patitur. quam debes curam adhiber e tuendo
P ro grege, non eius ratio permittit, uti te
A bsentem præstes. præsentem functio poscit
Muneris istius. nihil excusare potest te
O bstrictum: quoniam quod damni absente gregi te
C ontinget, tibi quin tribuatur, nulla potestas
P ontificis prohibere potest: quæ magna tametsi
E xistat: tamen infectum cum reddere factum
N on ualeat, fit, uti damnum nihilominus obsit,
Quod te contigerit prætermittente. placere
P ossumus, ut libuit, nobis: quantunq; uelimus,
P laudere nobismet quimus. sed recta putandi
R egula non permittit, uti se existimet ullus
Quid posse ex Christo, quod comperiatur aperte
I psi aduersari Christo: normæq; repugnans
E sse salutari. ratio quod muneris ipsa
N on patitur, quod pontificis non ulla potestas
E mendare potest: tibi quæ natura benigna est,
H umaniq; referta, pati id poterit? tolerare id
Quibit? ut officio desis, pasterq; relictum,
D esertumq; gregem permittas: impietatis
I d fuerit eximiæ, summæ id fuerit feritatis:

Quod ne committas, opto tam propter amorem,
Quo te complector, quàm propter relligionis
Affectum, quo seruari, fieriq; beatum
Quenq; aueo. qui prætereà meus est amor in te
Et quod propositum est cupiendi, quēq; bonum esse
Officioq; satisfacere: efficiunt, ut abunde
Expetam ego interea, dum uitam ducis in aula
Romulea, ne quid pro conditione benigna,
Et facili intrudas palpi summatibus istis:
Et summo ne Pontifici, cui sæpe loquendo
Adsistis, plaudas, studeasq; placere decori
Præter honestatem, & ueri præscripta. uelim iam
Te maiorem relligionis habere, Deiq;,
Quàm cuiusquam hominis rationem. quatenus ore
Facundo polles: doctrina quatenus anteis
Quosq; alios aulæ descriptos pontificali:
Est operæ pretium, adnitaris eatenus, ut nil
Incidat illicitum, quin dissuadere procures:
Nec quid legitimū, aut sanctum se suggerat, illud
Quin persuadendum cures, studeasq; probare.
Vt decumbenti, & male habenti corpore refert
Plurimum, ut adsistat, qui non indulgeat, & qui
Non faueat corruptis sensibus assentando
Aegroti: sic affectis male principibus qui
Adsistit, ne se nimis indulgenter habendo
Deterius quid reddat, opus curare. memento
Ergo pater reuerende, facis dum uerba supremo
Pontifici adsistens, ne quid palpando loquaris.
Quin quodcunq; mali affectus agnoscis, abunde
Argue, & ad sanum cura deducere: nanq;

Quisquis adulatur, nutrit peccata. nocet plus,
Qui palpat, quàm qui detrectat. iniquius est nil,
Quàm, quem diligere, obseruareq́; te fatearis,
Si quid eum noscas committere, quo nec amari
Nec obseruari mereatur, non reserare
Constanter, neq; si liceat, reprendere acerbe.
Est adhibenda tamen ratio, ne quid uideatur
Impingi grauius, nimiumq́; ardenter inuri.
Quidquid dicatur, dici monstretur amanter.
Etsi ea adesse tibi prudentia creditur, atq;
Iudicij grauitas: ut per te, quidquid agendum
Sit tibi, sat noscas: tamen, ut sus Pallada, & infans
Mercurium moneat: facit egregius charitatis
Affectus, quo detineor tum publice in omnes,
Tum priuatim in te. si cui transcendere fines
Forte meos uideor, peccareq́; ducor inepte,
Dum mystas ego, sacrificosq́; monere profanus
Conor: id adscribi peccatum debet amori
Omne, nihilq́; aliud damnari præter amorem
Debet, & affectum exoptatæ cuiq; salutis.

AD FELICEM SENENSEM.

Principis ad nutum cuiusquam uiuere, Felix,
Est miserũ. nimis est graue pendere ex alieno
Arbitrio. nihil ingenuo indignum magis est, quàm
Seruire. unde tibi, dum uitam ducis in aula
Seruili, sacriq́; fauorem præsulis ambis
Seruitio, quàm prospicias, caueasq́; decenter,
Pendere te paulum cuperem, paulumq́; putare

Te uellem: qui deprendes indignius hoc te,
Quod facis, esse, tuo quo peius consulis acri
Ingenio, & cœptis studijs magis officis. is tu
Visus es esse mihi: qui sic profeceris, & qui
Sic posses studijs operam dando edere fructum:
Vt dum seruitio insistis, non tam facias rem
Indignam fructu, quem feceris, impedias quàm
Indigne fructum, quem esses facturus. ut hausi
Alloquium, & non ingenio pollere minus te
Noui, quàm studio doctrinæ ardere, moleste,
Indigneq; tuli, & dolui uehementer, ut aulæ
Seruitio tereres tempus, uitamq; labore
Vano prodigeres. quid enim non ferre dolenter
Debeo: si quem comperiam melioribus esse
Addictum literis, & de quo, si gradiatur
Vlterius, sperem fructum quàm maximum: eũ re
Fallaci: & uana uideam, agnoscamq; teneri,
Diuertiq; aliò, quàm quò deposcat honoris
Præcipui ratio, & ueræ petat utilitatis
Conditio? dum captando tu præsulis auram
Expetis ad sacri fucum pertingere honoris:
Quem de doctrinæ studio uerum tibi honorem,
Ac immortalem posses acquirere: eo te
Fraudas. dum censu sacro quid carpere tentas
Vtilitatis: onus quæris: damnumq; procuras:
Et prætermittis rationem ueræ, & honestæ
Vtilitatis: quæ fluit ex uirtute, pioq;
Doctrinæ studio. quot nexus, quotq; labores,
Quos sequeris, census, & quos exquiris, honores
In se contineant: si cauta mente reuoluas:

Nil esse inuenies, cur incumbas, adeoq;
Adnitaris eis quærendis: ni tibi ducis
Esse laborandum, quo plus patiare laboris,
Aut plus incurras oneris. quos quæris honores,
Et quos affectas prouentus, tam tibi non sunt
Quoquam seruitio uili, quoquam'ue labore
Quærendi misero, ut seruum, miserumq;, suopte
Pondere quenq; queant omnino reddere adeptum.
Siquid seruitij est subeundum, siue laboris:
Expedit, ut ratione rei subeatur, adepta
Quæ libertatem donet, referatq; quietem:
Cuius nimirum uirtus rationis habetur:
Quæ quod seruitij primo præferre uidetur,
Et quod principio censetur habere laboris,
In libertatis munus, donumq; quietis
Conuertit, hominemq; beatum deniq; reddit
Ex misero. quare si seruitio fieri uis
Liber, sublatoq; labore tibi requietem
Quærere: uirtuti inserui, sacrisq; laborem
Doctrinæ studijs impende, hæc sola beandi,
Atq; quiescendi est hominis ratio. ratio hæc est
Vnica seruitium recte, utiliterq; labores
Præstandi. nihil hac dempta ratione tenet uim
Tranquillandi animi, mentisq; quiete fouendæ.
Quòd si forte tibi sacrum proponis honorem
Quærendum, ut prodesse queas, præstareq; possis
Conducentem operam, laudo, commendoq; ualde
Propositum, modo eum te noscas esse, iuuare
Qui ualeas, operamq; queas adferre salubrem:
Et te deprendas eius charitatis, ut optes

Cuiq; bonum, cupiasq; tuo te posse labore
Quenq; iuuare. sacrum quisquis sibi quærit honorẽ
Hac ratione, pie facit, & uirtutis agit ui
Præclara. uerum natura eiusmodi honoris
Est sacri, ut uirtute hominem petat insignitum
Multiplici, & uitæ multa integritate nitentem.
Qui non affectus omnes subuerterit, & non
Frænum animo indiderit cupienti: cõmodus is tam
Non fuerit sacro subeundo publice honori;
Quàm sibi de sacro referet incommodum honore.
Imprimis igitur te deseruire parandæ
Virtuti cupio, studijsq; incumbere sacræ
Doctrinæ, & sacro dignum te reddere honore:
Ante ipsum quàm procures tibi quærere honorẽ:
Qui facile accedet tandem, minimeq; petitus
Obijcietur: ut extuleris te sic ratione
Virtutis, studijsq; adeo profeceris, ut te
Arguere immeritum non ulla exceptio possit.

IVNIORIS LVDOVICI PARISETI POSTERIORVM EPISTOLARVM LIBER SECVNDVS.

AD ANDREAM ALCIATVM.



VM Pisis essem Andrea, studijsq; uacarem
Legum ciue tuo Decio profitente, tui tum
Primum notitiam suscepi nominis, & te
Pluribus audiui celebrari laudibus: ut qui
Multiplici, uariaq; fores farragine plenus
Doctrinæ: primusq; nouam afferres rationem
Legibus exponendis · cum nunquam, simulatq;
Iudicij quid cœpi, hominem audierim celebrari
Doctrina, quin affectu correptus in ipsum
Sim magno: intellecta tuæ præstantia, & ingens
Copia doctrinæ fecerunt me tui amantem,
Atq; obseruantem. mox hoc studiosior in te
Redditus, effectusq; fui, mihi quo potiori
Iure tuæ specimen uirtutis claruit. ut te
Autem de facie noui, tecumq; locutus,
Deprendi, non tam doctrina, quàm probitate
Te præstare animi, tanto cumulatior in te
Factus amor meus est, quantò doctrina minoris,
Quàm probitas animi est censenda. licet tibi causa
Doctrinæ multum laudis merearis, adeptus
Cum sis, quod nulli penitus rear hactenus esse
Quæsitum in simili studij ratione: tamen quæ

Est uitæ probitas, morumq; modestia, tantò
Maiorem passim laudem, cultúq; meretur:
Quantò perspicuum magis est: sordescere, quæ non
Sit probitati animi doctrina adnexa. latebras
In studijs legum multas reserasse: latine
Exposuisse libros ueterum, responsáq; iuris
Barbarie exoluisse, fuit laudabile: uimq;
Egregiam ingenij ostendit. quòd fama per omnes
Penè orbis partes celebrem te reddat, & inter
Quosq; exponendi iuris, legumq; magistros
Præcipuum statuat, ducendum est plurimi. abunde
Est pulchrum, quòd te respublica quæq; dicata
Gymnasijs legum oblata mercede, docentem
Exigat, & magno precio conducere quærat.
Sed, quæ doctrinam probitas comitatur, ea est, quæ
Te uere dignum cultu, laudisq; merentem
Efficit. in quo uita impura sit associata
Doctrinæ, quæ fama paratur ei ratione
Doctrinæ, est infamia. quæ doctrina per ora
Iactatur hominum, si sit uitijs comitata,
Dedecori inseruit, labiq; ministrat agendæ
In uulgum. quare non tam tibi gratulor, & non
Tam tibi gratandum omnino reor ob rationem
Doctrinæ uariam, quàm propter conditionem
Viuendi integram. mihi quæ propensa uoluntas
Est in te, longe plus defert integritati,
Quàm doctrinæ, cuius adeptæ si quid habetur
Forte, quod adscribi curæ, tribui'ue labori
Posse tuo credas: nihil est, quin esse rearis
Auræ diuinæ tribuendum, quidquid haberi

Contingat probitatis. habes si numinis aura
Diuini, quo præcipue celebreris, & inter
Mortales laudem eximiam mereare: quid obstat,
Quin debere Deo ducas te maxime, & omnem
Arbitrere tuam laudem, nec non decus esse
Obstrictum in primis? quod cum perpendere possis,
Nosseq; perspicue: superest, ut gratum ideo te
Exhibeas, referasq; Deo quid gratiæ: ab ipso
Cum præsertim habeas etiam: quodcunq; parandæ
Doctrinæ ingenium suffecerit. ergo decens est,
Vt bene quem de te meritum scis, demerearis,
Quo pacto possis, quantumq; tuæ patiantur
Vires. qua uero efficere id ualeas ratione,
Inuenies facile: in miseros si munificum te
Præbueris: proprioq; inopes adiuueris ære.
Si Deus in causa fuit, ut quæsiueris istud
Doctrinæ, & famæ: ut posses mercede recepta
Quærere diuitias, largosq; pecuniæ habere
Thesauros: cur non fueris censendus auarus,
Ingratusq; Deo, si quod opis petat à te
In persona inopum, renuas præstare. parasti
Quos ope diuina thesauros, trade ferendos
In cœlum, sediq; tibi in cœlo redimendæ
Impende, æterno teneas quam tempore felix.
Cum tibi nec nati existant, nec proximus hæres
Sanguine sit quisquã: quos fratres, quosq; propin=
Ipse tibi Deus adsciscit, & Christus adoptat, (quos
Excipe, & hæredes fac sunto superstite adhuc te.
Quos Christus tribuit, fratres agnosce: manuq;
Ingenua, largaq; iuua. quid proderit inde

Te latos fundos, multumq́; habuisse talenti,
Cum cunctis opus hinc fuerit migrare relictis?
Dum superest igitur tempus: tibi contrahe amicos,
Conciliaq́; ministros, qui ad tentoria cœli
Te ducant, sternantq́; tibi cœleste sedile
Id sanè si tu curaueris efficiendum:
Tam tibi perpetuo prospexeris, atq; beatam
Vitam quæsieris: quàm summam adieceris illi,
Quam de doctrina retines, probitateq́;, laudi.

AD MARSILIVM BIANCVM.

QVòd sis Marsili attonitus, stupidusq́; fluenti
Factus apoplexi, quam ægre tulerim, atq; moleste,
Magnus amor meus in te, consuetudoq́; nostra,
Et quæ plura opera, officioq́; tuo capiebam
Commoda, testari possunt, possuntq́; patenter
Arguere. assiduus comitatus, amica frequensq́;
Conuentus ratio nunquam subeunt mihi, nunquã
Succurrunt, quin commouear uehementer, et ægro
Affectu tangar. quoties mihi suppetit, ut sim
Priuatus tam dulci consuetudine, tamq́;
Fida opera caream: mihi quam præstare, meisq́;
Suetus eras rebus, non possum non grauiter, quod
Contigerit tibi, ferre: tuumq́; dolenter habere
Non casum: qui tantò etiam me tristius urget,
Affligitq́;, tuæ quantò damnosior esse
Apparet soboli: cui iam non amplius usum
Ferre potes quẽquam, nec quid prodesse forensi

Prouentu. tuus hic casus tantò est grauioris
Conditionis habendus: habet quantò potiorem
In se iacturam. per casum non potes istum
Subsidium soboli ferre, aut succurrere amicis.
Quidquid opis præstare tuis, rebusq; tuorum
Quibus, istius sublatum est prorsus acerbo
Successu casus. miserabilis iste uideri
Cuiq; potest casus, qui præcipue rationem
Corporis, ac huius uitæ mortalis habendam
Ducat, & humanis rebus plus deferat æquo.
Quòd si quis perpendat, uti diuina uoluntas
Omnibus adsistat, præsitq; cadentibus: & nil
Permittat sine se succedere posse: malo nil
Sentiet esse adscribendum, quod colligat eius
Auspicio cadere, atq; homini contingere. quidquid
Ipsi homini sine facto hominis contingit, id ulla
Sub ratione mali censeri tam nequit: ut sit
Tanquàm prouenien s diuina lege, putandum,
Censendumq; bonum. quod uerò constat iniquo
Facto hominis: nequamq; opera committitur, et si
Id nequeat non esse malum, dum respicit ipsum
Cõmittentem hominẽ: tamen ad rationem alicuius,
Productumq; boni deducitur expediente,
Atq; operante Dei bonitate. quod accidit ergo
Affectus tibi corporei, si quidem sine noxa,
Peccatuq; tuo successit, cum tribuendum
Consilio, placitoq; Dei sit prorsus, habendum
Est nulla ratione malum. licet is uideatur
Sensibus affectus contrarius, & rationi
Corporeæ pernix, tamen attenta ratione

Vera hominis tam non nocuus, uel pernitiosus
Debet censeri: ut magnam retinere salutis
Quaerendae uim comperiatur. nam tolerandi
Virtuti, frugiq; modestiae idoneam, & aptam
Materiam praebet, campisq; aperit uirtutis
Exercendae habilem. quin non solummodo praebet
Materiam, & campum uirtuti suscipiendae:
Verum etiam uim praebet ei, auxiliumq; parandae,
Ansa peccandi sublata, & fomite adempto
Corporis in uitium procliui. occasio, quae se
Peccandi praestabat, tum ualidi ratione
Corporis officij, quàm causa publici, adempta
Est tibi. cum causas ageres, operamq; locares
Pragmaticus, quae consuetudo hominum uariata,
Multiplexq; erat, & quae procuratio lucri
Fiebat, poterant animum corrumpere, remq;
Perdere praecipuam, damnumq; afferre salutis
Immortale. Deus cum prouidus intueretur
Incolumi te corpore pernitiem subiturum
Esse animae, cauit studiosus, amansq; tui, ne
Oblatum perdendae animae discrimen haberes.
Hinc id corporei affectus immisit: uti te,
Tam delinquendi demendo commoditatem,
Quàm praebendo uirtuti instrumenta parandae
Seruaret, dignumq; salutis munere tandem
Efficeret. tam non indigne ferre, queriq;
Debes: affectum te sic, ut reddere laudes
Hac ratione Deo deceat te maxime, eiq;
Te gratum praestare: tibi qui subueniendum
Tam caute curauit, & in ratione salutis

A eternæ tibi proſpiciendum tam ſtudioſe
C onſtituit. nihil ergo, Dei quin munus amantis
R eſpicias, meritiq; agnoſcas conditionem
D iuini. memora, quàm conducenter agatur
T ecum, qui ſis debilitatus corpore: quo mox
V iuere perpetuo poſſes, animoq; ualeres
I ugiter, affectus ſi corporis iſte moleſti
Q uid forſan uideatur habere: ea præcipue te
S olari debet ratio, quòd prætereunti,
E t fragili uitæ ſit ſucceſſura perennis,
A c ſtabilis, requieſq; breui diuturna labori
A duentura. prout lenis labor eſſe uidetur
S pe lucri, nullumq; grauem ſinit eſſe dolorem
M ercedis ſpes amplæ animo concepta: tibi ſic
L eniter accipiendum, & pacato ſubeundum
E ſt animo, quodcunq; trahas incõmodum ab ægro
C orpore: cum uideas tantum lucri eſſe paratum,
O blatumq; tibi tantum mercedis. habendum
N on eſt damnoſum, in cuius ratione locatum
S it plus compendi, quàm damni. corpore ſoſpes
Q uibas lucrari, quæſtu ſuccurrere proli,
R emq; clientelis augere domeſticam opimis.
S ed quid erat tandem morte accedente futurum?
N il tibi diuitiæ, nil res, nil lucra fuiſſent
P rofectura. nihil natis exaucta facultas
A d rem feciſſet, ſunt irrita, uanaq; tandem hæc
O mnia. ſola animæ ratio eſt ducenda, ſalutis
A eternæ reſpectus haberi hominis rationi
C onueniens ſolum debet. nihil attinet ultra
Q uærere Marſili, quàm ſaluificum Dei amorem,

Felicemq́; animæ uitam, pro cuius adeptu
Nil non cum lucro contemnitur, atque ſubitur.

AD BEATRICEM.

AD metam iſtius uitæ ſi noſtra Beatrix
Siſteret omnino ratio: nullusq́; futuræ
Reſpectus uitæ foret: infelix nimium tu
Cenſeri poſſes: quæ delectamina mundi
Huius, & illecebras uitæ præſentis omiſſas
Feciſti: ut ſtatione loci temet retineres
Anguſta, & iugi traheres in carcere uitam.
Tam mundi iſtius ſpreuiſti commoda: tamq́;
Delitias uitæ præſentis nullius eſſe
Duxiſti pretij: ut uiridanti in flore iuuentæ
Te ſubtraxeris, & matrem, fratresq́; relinquens,
Deſtituensq́; tuos omnes, elegeris arcto
In clauſtro uitam traducere ſola. quis iſtud
Non uitæ genus horreat: & ſibi non fugiendum
Eſſe putet, qui corporis, & ſenſus rationem
Ducat, & in primis non arbitretur agendam
Eſſe animæ curam immortalis? uti genus iſtud
Viuendi ualde miſerum, infelixq́; uideri
Cuiq; poteſt: qui commoda corporis æſtimet, et qui
Corporeis putet indulgendum ſenſibus: ad rem
Sic quis reſpiciens animæ, uitæq́; futurum
Perpendens munus, tam non miſerum id reputarit,
Infelix'ue: beatum ut protinus & ſapienter
Suſceptum ſit cenſurus. mutare perenni
Temporeum, fallax uerò poſtponere, ſani

Est animi, recteq; sibi, & bene prospicientis.
Præter eam, quam uenturo post tempore spondet
Vita uoluptatem à mundo hæc aliena, quietis
Multum habet, & gaudi. nam cũ suaui Dei abũdet
Gratia, & assiduo diuini fulta fauore
Flaminis existat: tam nil sentire relictis
Ex mundi rebus mœstum, uel triste potest, ut
Magnum desertis sumat sibi gaudium ab illis.
Qui multum admiror, quòd principio tibi, cum sis
Fœmina, propositum fuerit tam forte, adeóq;
Constans: ut posses sensum superare, grauemq;
Aduersus pugnam persistere corporis: idem
Inuideo, non tristitiam ratione boni, quod
Sit tibi, suscipiens, sed mœrens memet habere
Non æque: quoties considero, quanta quietæ
Istius uitæ tibi sint solatia: quamq;
Abiectis mundi curis, rebusq; beata
Viuas, & quàm læta Dei potiare fauore.
Nulla humanarum rerum constantia, nulla
Rebus in ambiguis mundi sincera uoluptas.
Quæ mundi inseruit curis mens, anxia semper
Distrahitur: uarijsq; modis uexata, quietem
Nescit: & ancipiti semper discrimine se fert.
Hinc, ne beata magis, magis an laudabilis esses,
Hæreri posset: nisi qui uirtutis ab ipso
Procedat studio fructus, quoscunq; labores,
Vinceret exceptos causa uirtutis. obisti
Quos expugnando sensum, corpusq; labores;
Quorum tu causa laudari digna putaris:
Qua frueris, magno tranquilla beatio uincit

Excessu plerunq; meæ me conditionis
Pœnitet : atq; mei miseret me sæpe:mihi cum
Succurrit,quibus exciderim, fuerimq; uolutus
De gradibus,quos in uitæ ratione quietæ,
Felicisq; tenerem : ad quos cupio me aliquando
Restitui:quod uti fiat,possimq;,Deum ores,
Expeto,& affectu summo contendo,precere.
Nam pro relligione tua, pietateq; summa ,
Qua caram,gratamq; Deo te maxime opinor,
Nil fore difficile impetratu duco,quod acri,
Contentaq; prece exposcas. confido futurum,
Vt quod ego, cum sim multi sons criminis, atq;
Errati, crebro nequeam impetrare precatu ,
Tu dilecta Deo obtineas:nullamq; rogando,
Poscendoq; Deum pro me patiare repulsam.

AD HIERONYMVM PARISETVM.

QVæ tibi prospera sors Heronyme contigit : & quæ
Cōditio primū iuueni tibi honesta,decésq;
Est oblata, facit ne spem,frustra rear esse
Insignem de te mihi conceptam:indole semper
Visus ea es nobis, ut te sperauerim abunde
In studijs legum ualiturum, & rebus agendis :
Hincq; fore, ut decus egregium,nomenq; parares
Tū tibi, tum domui nostræ. quod munus agis nūc,
Est id, uti præter magnam decoris rationem ,
Quam retinet, longe ad maiores possit honores
Te uehere,ad maiusq; tibi reserare fenestram
Laudis

Laudis honestamen. cum sors tibi, uel Deus author
Sortis non desit: tibimet ne deniq; desis,
Prospicias, opus est. quod quamuis arbitrer esse
Per te facturum: tamen, ut moneam, facit ingens
In te noster amor, qui quantò largius implet,
Perfunditq; animum: tantò solertius instat
Officio, quæritq; cauere. licet putem eum te
Cui pro ætate satis, qua præditus es, iuuenili,
Consilij sit, & ingenij: tamen ob charitatem,
Qua te complector, propterq; æuum, ratione
Cuius te supero, inducor, monitoris ut utar
Officio, cariq; instar te patris adhorter.
Quod munus geris, in primis perpendere debes,
Quid petat, & quantum curæ sibi postulet à te.
Quod facile accipies: si finem muneris esse
Duxeris istius, cui præsis, commoda gentis
Quærere, et omne tuum studiũ conuertere ad usum
Atq; bonum populi, cui dicas iura. Regendo
Præfectus populo semper debet meditari,
Vt paci caueat populi, & populum tueatur
Indemnem, non autem qua ratione lucrari
Possit, & exucto populi de sanguine quæstum
Contrahere: ut nostro faciunt hoc tempore multi:
Qui protendentes rationem muneris omnem
Ad lucrum, quæstumq; suum, benè munus habere
Rentur: ubi multum quæstus, multumq; rapinæ
Contigerit fieri. talem nec te puto, nec te
Esse uolo: sed postrema te ducere quæstum
In ratione: nihilq; magis, quàm cõmoda, remq;
Commissi populi cupio curare. caueto

Prætered, ne te quisquam deducat ab æquo
Affectus: cogatq́; animum transcendere metas
Iustitiæ aut pietatis. ages quæcunq;, putato
Esse Deum testem, coramq́; adsistere. ne te
Suasibus impelli patiare alicuius, ut in ius,
Aut leges pecces. quẽquam ne credito amicum
Esse tibi: qui poscat iniqua, rogetq́; inhonesta.
Ne tantum cuiquam curato placere, nec ultro
Deferre: ut potior non sit tibi iuris, & æqui
Conditio. exactam rationem relligionis
Ducito: nec quidquam permittito posse negoti
Immemorem cultus diuini reddere mentem.
Nam solet accidere, ut tractatio publica rerum
Ad memoranda animum reddat diuina pigrentem:
Quod minus eueniet, si publica quæq;, prout par,
Quo debent, uertantur eò: finisq́; tenorem
Ad uerum proprij referantur: qui Deus, & qui
Est ratio diuina boni communis. habeto
Iugiter hoc animo fixum, quoscunq; labores
Pertuleris, frustra cessuros deniq;: ni quo
Debent, respiciant, uerumq́; habeant sibi finem
Propositum. quantò est grauior prouincia iuris
Dicendi, & quantò moderandi cura, laboris
Plenior, & discriminis est: tantò potiorem
Vim tenet ad laudes, meritumq́; salutis agendi.
Qui præsunt, prosuntq́; alijs, sunt numinis instar:
Seq́; Dei præbent imitatores. Deus omnes
Respicit, & curat, curandoq́; sic habet, ut tam
Prosit, quàm præsit. genus hinc laudabile multum
Rectorum, carumq́; Deo quàm maxime haberi

Asseruit, qui uaticina diuina poesi
Rex celebrat. qui præsidet, est positus uelut alta
In specula: in quem subiectorum lumina quæq;
Sint directa: queat ne quis pedibus, manibusq́;
Conari, quin conspiciatur, siue notetur:
Cuius ab exemplo cum se communis agendi
Censura, & ratio referant plerunq;: cauendum
Sicut ei fuerit, ne quid committat, obesse
Quo possit morum rationi publicæ habendo
Sic se præstanter, uiuendoq́; rite iuuabit
Multum, & proficiet communiter instituendis
Moribus, & uitæ rationi retificandæ.
Multa magistratu fungentis cautio debet
Esse. cauenda etiam suspicio criminis: ipsum
Ne dum uitandum est crimen: suspicio cuius
Tantò contrahitur leuius, quantò acrius instant
Obseruantum acies. uix tanta modestia quiuit
Esse magistratus cuiusquam: tantaq́; uitæ
Integritas, quin inueniat, qui rodere tentent:
Et quærant causam impingendi criminis. unde
Est obseruandum, nequid carissime fili
Committas tam uiuendo, quàm munere iuris
Dicendi fungendo: quod esse queat nocumento
Subiectis, nequid facias, quod obesse reapse,
Exemploúe queat. quantum contendere possum
Hortor, ut effugias non solum criminis omnem
Culpam, sed quanq; obijciendi criminis ansam
Abrumpas etiam: studeasq́; occurrere uitæ
Integritate, animiq; nitore quibusq; malignis
Morsibus, inuidiæq; retundere tela gerendo

Te benè, & officijs non deficiendo. geras sic
Te cupio, ut quæ nobilis expectatio de te
Est suscepta, cadat feliciter, obtineatq;
Successum, & pulchram ferat hæc prouincia laudē,
Et frugi sit saltem animæ, prositq; saluti.
Interea si quid reris me posse iuuandi
In ratione tui: uolo libertate petas me
Non alia, quàm qua exigeres, peteresq; parentem.
Nam pro iure propinquo sanguinis, & uehementi
Pro studio uirtutis, quo te nosco teneri,
Te nequeo non diligere, & uehementer amare.

AD HIERONYMVM LIBANORVM.

ETsi præsenti te consuetudine nondum
Noui Libanore: tamen mihi tam benè amaris
Tamq; animo benè nostro hæres: quā qui ueteri sit
Iunctus amicitia, uel consuetudine iugi
Cognitus. integritas animi, morumq; benigna
Conditio, à consanguineo descripta nepote:
Et certis deprensa notis, sic me tibi amicum
Constituere: tuum sic me fecere: frequenti
Vt desiderio tangar tibi gratificandi:
Ac optem, me posse aliquid, quod commoditati
Deseruire tuæ ualeat, prodesseq; possit.
Præterea cum doctrinæ, & uirtutis amantem
Te præstes: ius exigit, & deposcit honestum:
Vt multi fias nobis: qui detineamur
Doctrinæ studio: & cultu uirtutis agamur.
Quin, si non adeo doctrinæ, quis penetrarit

Intima, nec perfecte adeo uirtutis adeptus
Sit summam; tantò magis est laudabilis eius
Affectus, quantò gustum, fructumq; minorem
Doctrinæ assequitur, uel quantò debiliorem
Virtutis habitum retinet. quapropter is in se
Arguit egregium specimen rationis, & ingens
Naturæ munus: qui quod mereatur amari,
Sic amet, ut summo affectu moueatur in ipsum:
Etsi nil fructus sibi sentiat inde: sibiq;
Nil gustu apprendat consorti. quæ mihi te nunc
Iungit amicitiæ ratio: cum non alicuius
Vtilitatis respiciat finem: neque causam
Ducat ab externorum conditione bonorum:
Sed ui quadam animi constet: quendamq; sequatur
Naturæ instinctum: fieri uix posse reor, quin
Persistat: maneatq; perenni tempore: donec
Nostrum utriq; superstit uita. fruamur ut ergo
Interim amicitia: nobis est tandiu agendum
Scriptis: commoditas donec se præbeat: unà
Vt simus: dulciq; simul sermone loquamur.
Quod confido breui fore: ni quid forte, quod obstet,
Accidat, eueniat'ue aliquid: quod uota moretur.
Nam cupio iandudum istuc accedere, partim
Laxandi respectu animi, partim ratione
Visendi te cum reliquis, quos diligo, amicis.
Iam cum me solum studiorum cura teneret:
Et me duntaxat prouincia grata legendi,
Discendiq; meo tum fratre superstite haberet:
Tempore suetus eram æstiuo, uernó ue relicta
Me conferre aliquò patria: quo quærerem amicos:

Quæsitos'ue uiderem: quæ mihi consuetudo
Non minus oblectando animum, quàm proficiendo
Corpori erat frugi. uerum simulac mihi acerbo
Est casu frater subtractus: tota meæ sic
Turbata est uitæ ratio: ut reliquum mihi nil sit
Factum oti: & nequeam quidquã decernere de me
Amplius, aut aliquid de me promittere certo.
Multiplici teneor uinctus, nexusq; cathena:
Et ueluti adscriptus glebæ sum seruus: ut hora
À curis, tricisq; mihi non una supersit
Immunis. quare si me conuellere pacto
Hinc ullo potero: te uisam, teq; libenter
Conueniam: licet hospicij ius uendicet in me,
Ad quem appellatur iudex Laurinus amatus
Sic mihi: ut insignes inter numeretur amicos:
Cui cum polliciti causa sim debitor: & sim
Tam literis, quàm uerbis obstrictus: minime fas,
Vt desim: fallamq; fidem, promissaq; frangam.
Interea quantum tibimet promittere possis
De me; non scribam: quoniã ex animo potes in me
Id censere tuo: cum qui te detinet, in nos
Affectus, nobis idem se suggerat in te.

AD HERCVLEM PRINCIPEM.

QVo princeps præclare teneri relligionis
Affectu ferris: quo diceris in Deũ: amore,
Et cultu tãgi faciunt: ut præter amorem,
Et cultum: quem iure potestatis tibi noscam
À me deberi: tantum te diligam, amemq;,

Atq; colam: quantum est par pro nostro in pietatem.
A tq; Deum studio fieri. cum censeam amandum,
A c obseruandum tantò magis unumquenq; :
Quantò contingat cura maiore teneri
V irtutis, cultusq; pij : quàm credere dignum est,
T e, qui non minus excellis uirtute, pióq;
I n superos cultu: quàm principis inclyto honore
I nsigniris : amari adeo nobis : adeoq;
E x animo obseruari : ut numinis, & patris instar
D ucaris. planè repræsentare uideris
N umen ea, qua præcipue integritate nitescis:
Quáq; pia bonitate scates. Dum, qui domineris,
E s præfectus, habes etiam, quod numinis esse
D icatur : speciemq; Dei quodammodo adumbret:
E ffingat'ue. gubernandis quæ cura adhibetur
S ubiectis solers : & quæ prospectio rebus
P ræstatur populi uigilans, & prompta tuendis:
P atrem præcipue referunt, munusq; paternum
O stendunt. quamcunque geris, persona meretur
T am summo affectu complecti : quàm ueneratu
M ulto obseruari. personarum ratio, quas
I nter nos geris, exposcit, te plurimum amari,
P ræcipuáq; coli ratione. at quod facimus, dum
T e colimus, ueneramur, amamus: iure fit istud
S ummo: nec facimus quidquam, cui nõ teneamur:
A ut non obstricti simus. nam principis omnis
E st ditio diuina: Deóq; authore potestas
O mnis habet robur. per singula quæq; Deus cum
S ese diffundat: causisq; humana secundis
E xpediat: nulla se prorsus imagine profert

Rebus in humanis expreſſius, ac melius, quàm
Principis in perſona, opera cuius, moderando
Humanum genus, utatur. ius maius in ipſos
Principis eſt homines, quàm quod homini uideatur
Competere erga hominem. diuino munere princeps
Fungitur, atque Dei quandam præferre uidetur
In terris ſpeciem; quæ ſi ſolo referatur
Perſonæ fuco: nihil attinet ad genuinam,
Aut ueram rationem principis inſtituendam.
Ni princeps ſe ſic habeat uiuendo, ut abundet
Omnigena uirtute: animiq; exuberet inſons
Integritate, Deum referet neutiq;, minusq;
Verus erit princeps. ueluti diuina refertur
Principe conditio: ſic principis uſurpabit
Is fruſtra nomen qui ſic non degat: ut ipſum
Effingat, referatq; Deum: quantum fieri quit
Præſtari'ue poteſt: quantò quis moribus, atq;
Virtute excellens propiore Deum ratione
Accedet: tantò ſibi principis æquius, atque
Iuſtius adſciſcet nomen. qui iure uideri
Exoptat princeps, expendere ſingula debet:
Quæ faciat, libra diuini numinis: & ſe
Actibus in cunctis imitatorem Dei, uti fas
Permittit, præſtare. Deum ſpectare, Deumq;
Semper habere oculis obiectum, menteq; firma
Detentum debet princeps, quæcunq; ſibi ſint
Expedienda: uel immineant facienda. Dei ſe
Dirrigat ad normam princeps: & fingere curet
Se Dei ad exemplar: quantum præſtare poteſt uis
Humana. ut ſeſe largum Deus, atq; benignum

Exhibet erga omnes: passimq́; suæ bonitatis
Thesauros diffundit: & expertem, uacuumq́;
Nullum permittit meriti: sic principis est, se
Munificum præbere: suosq́; iuuare benigne
Subiectos, & muneribus cumulare, bonisq́;:
Et nullam penitus dimittere proficiendi
Ansam. nil rerum penitus Deus edidit ob se,
Siue sui causa: sed cuncta ad commoda fecit
Externa, atq; alienam eduxit ad utilitatem.
Præcipue rationem hominis sibi duxit habendam:
Quem sic protulit, ut felicem redderet: & se
Perpetuo præberet ei, offerretq; fruendum.
Quin ipsum in mortem lapsum, culpaq́; suapte
Damnatum pœnæ exemit, summaq́; redemit
Vi charitatis. homo factus sumpsit sibi formam
Seruitij, cum cuncta suo moderamine obiret:
Quo generi humano succurreret, & prodesset
Lapso homini. quicunq; Deum princeps imitari
Expetit: ac imitando cupit dignus dominatu
Censeri: princepsq́; merens, & uerus haberi:
Est opus: ut conuertat eò se prorsus, eoq́;
Omnibus incumbat conatibus: ut subiectis
Prosit: & incolumes populos custodiat, & nil
Dirrigat in propriæ rationem commoditatis,
Siue uoluptatis. finem præscribere solum
Hunc sibi legitimus debet princeps: ut abunde
Subiectos iuuet: ac omni cura, studioq́;
Nitatur: quo prosit eis, caueatq;: suæ quos
Commissos habeat fidei. sicut pater omnem
Conuersam in natos curam tenet instituendos:

Ac operam quamcunq; suam dispensat: ut ipsis
Prospiciat natis: ad quorum commoda quidquid
Cogitat, atq; facit, conuertit, sic bonus erga
Subiectos princeps prorsum se debet habere:
Vt summa cura, studioq; affectet eorum
Commoda, & in primis quidquid procurat, agitq;:
Vertat eorundem ad frugem, emolumentaq;. cũ sis
Tu princeps: & plura habeas, quæ principis esse
Debent, & faciunt ad uerum constituendum
Principem: opus fuerit recte perpendere: si quid
Desit, & ad summam statuendi principis ultra
Deficiat. si quid diuina coarguat in te
Regula subsultare: patris si expensa adamussim
Conditio, aut natura aliquid conuincat abesse:
Summa adnitendum cura, totoq; studendum
Adnixu: ut quantum fieri queat, exequetur,
Quod subsultet, & inducatur id omne, quod absit.
Multa quidem ratio perfecti principis in se
Continet: & uires hominis superare uidetur.
Sed nil, quod diffidat homo se posse, Dei se
Sufficiente opera, quæ nulli desit egenti,
Ac imploranti. quin tantò promptius aura
Insinuat se principibus diuina iuuandis:
Quantò conditio se principum habet propiori
Ad numen ratione. igitur si quid tibi princeps,
Exacte expendens temet, deprendis abesse:
Quod uel amabilis officium patris exprimat in nos:
Vel quod diuinum referat imitamine numen:
Posce Deum: numenq; ipsum, quoniam experiere,
Nil confidenter posci, nil exigi honeste,

Quin impetretur . nam procurare decens est :
N e, quod candoris menti reperitur adesse,
S it, qui corrumpat, unus:uel quæ maculet, sit
A spergo . pro nostra etiam charitate:pioq;
A ffectu cupimus : sic agnoscas meritorum
T antorum largitorem,authoremq; Deum ipsum:
V t memori semper seruentur mente,animoq;
G rato uoluantur. quòd res feliciter omnes
S uccedant:quòd pace fruaris, agasq; quietem
I nter tot turbas, merito hæc contingit haberi
A' te diuino:cui non externa bonorum
C ommoda solum:sed quæcunq; ẽt tã animũ,quàm
C orpus respiciunt,interna accepta referri
O mnino debent.quantum sapis,ingenioq;
P olles, id totum tribui, adscribiq; potenti,
M unificoq; Deo debet. uirtutis habetur
N il in te cuius non existat Deus author.
Quæ probitas,quæ relligio tibi dicitur esse :
H æc ex diuino procedit munere . quantum
C onsilio præstas:quantum prudentia agendis
I n rebus potes : aura Dei id , diuinaq; uirtus
A ttulit. hinc consit, tantò magis esse Deo te
O bstrictum debere: Dei quantò meritis es
P luribus ornatus . cum mecum cogito de te.
Deq; tuis rebus: uideor deprendere quandam
I n te præcipuam diuini numinis auram:
Qua reliquis ex principibus tu maxime honorum,
T ranquillumq; statum obtineas, uitamq; quietam
T raducas. quare agnoscenda Dei tibi tot sunt
M unera,perpetuo si uis gaudere, perenni

Si uis pace frui: nihil est, quod prouocet iram
Numinis asperius, quàm ingrata superbia, quàmq;
Diuini meriti ratio non ducta satis, nec
Agnita perfecte. Deus est, qui regna tuetur:
Et Reges fouet: à quo qui peccando recedunt:
Deficiuntq; relinquendo recti rationem,
Et iusti: nihil est, cur successum sibi lætum
Promittant, aut stare diu, ac persistere sperent.

AD LANFRANCVM GYPSEVM.

Quòd summa Lanfrance fide, studioq; sagaci
Principis incumbas rebus, perstesq; gerendis:
Tā non idcirco damnandum te reor esse:
Vt uel non modicam laudem uideare mereri.
Quod tibi commissum sit confidenter, & ex spe
Præcipua, non procurare fideliter, haud spem
Tam fuerit fraudare, fidem quàm fallere. quod tu
Si faceres: tantò peius, grauiusq; profecto
Peccares: quantò personam in nobiliorem
Peccari contingeret: & quantò magis esset
Publica materies: in qua contingeret à te
Peccari. nil porro aliud res principis est, quàm
Publica res: cuius ratio sic debet haberi:
Vt primas mereatur post diuina, Deumq;.
Publica res patriæ ius continet, & rationem
Includit patriæ respublica: cuius habendus,
Censendusq; pater princeps: qui præstat eum se,
Vt potius sibi nil ducat, quàm quenque iuuare,
Et uulgo prodesse. suumq; existimet esse

Publicum, opineturq; nihil ſibi prorſus habendum
Priuatim. quiſquis princeps gerit hocce modo ſe,
Is pater eſt patriæ: cui deſeruire pium tam,
Quàm iuſtum fuit. hinc tu, quatenus emolumenta
Principis affectas: eiusq; negotia agenda
Utiliter curas, tam non eſt, cur merearis
Arceſſi: ut me ſis laudandus iudice. ſi res
Principis eſt coniuncta rei ſic publicæ: ut una
Sit ratio, finisq; unus ſtatuatur: agis rem
Tam licitam, & iuſtam, dum principis utilitati
Inuigilas: ut uix ſuperet quid, cuius agendi
Conditio præſtans æque, pariterq; labore
Digna ſit inſigni. quòd ſi rem principis à re
Publica abhorrentem prorſus, penitusq; remotam
Procuras, tam quod liceat, deceatq; facis nil:
Quàm princeps peccat: dum publica ab utilitate
Separat, abiungitq; ſuam. quare tibi cauto
Spectandum eſt animo: quo procuratio tendat
Hæc tua: quam de re traducis principis. hæc ſi
Prorſum aliò uergat, quàm quò res publica ſpectet:
Re peccas grauiter, noxamq; rei ratione
Illicitæ incurris: quam tantò deteriorem
Efficias demum: quantò minus accidat à te
Seruari, agnoſciq; modum. ſeruandus in omni
Re modus eſt, à quo nemo decedere uel re
In licita ſine labe poteſt, uitioq;. cauendum
Eſt igitur: ne te tranſuerſum affectio ducat:
Ambitiòue gradu de recto ſummoueat te.
Iudicium ſolet affectus corrumpere. honoris
Ambitio, ac euadendi uentoſa cupido

Deprauare animum ſueuere. duplex ineunda
Cautio,ne quid agas:quod re non congruat ipſa:
Aut non conueniat metæ ratione, modiq́;.
Principis haud quaquam tanti tibi gratia debet
Eſſe : Dei quin ſit pluris facienda ſupremi
Gratia : qua conſtat humana beatio. quidquid
Occurrit ſpeculare prius, quàm quadret honeſto,
Conueniatq́; pio.licito quodcunq; repugans
Depren dis : ne te captandi cura fauoris
Humani impediat: quin id ſubuertere tentes.
Sic opus eſt æquum tibi, iuſtitiamq́; tueri :
Vt non ulla hominis ratio diuertere ab illis
Te ualeat. tam non te gratia principis ad quid
Iniuſtum faciendum adducere debet: ut omni
Conatu tibi ſit curandum: ne quid inique
Cõmittat princeps, faciatq́; aduerſus honeſti,
Aut liciti rationem. cum tibi deferat, atq;
Attribuat multum,nihil admittetur ei, quod
Adſcribi ex aliqua non poſſit parte tibimet.
Cum per palpones uerum cognoſcere raro
Principibus detur : benè tu de principe, deq́;
Subiectis meritus fueris : ſi ad principis aures
Adducas uerum : ingenueq́; monendo loquaris :
Quid deceat : fieriq́; animaduerſa ratione
Principis integri poſsit. prout es meriturus
Optime,& inſignem tibi quæſiturus es auram
Numinis : officio fueris ſi conuenienter
Vſus ; & obſtiteris ſuadendo,monendo, rogando :
Ne quid agatur præter diuini documenta
Præſcripti, uel iuſtitiæ decreta:ita erit, quòd

Constituare reus uitæ: reddareq; ualde
Sons animi: si quid cura, studioq; placendi
Feceris. aduersum quod tu cognoueris esse
Iustitiæ, monitisq; Dei contrarium. ab aura
Humana captari animum si siueris, ut uel
Subticeas uerum: uel quod cognoris iniquum,
Admittas: non est, cur te confidere possis
Indemnem, saluumq; animo: causaq; futuri
Iudicij incolumem. quanto plus esse tributum
Contingit tibi: tanto plus exposcitur à te:
Et quanto merces preciosior expectanda
Est tibi: si qua conueniat ratione, geras te:
Tanto pœna æque maior, grauiorq; futura est:
Si quid defueris: normamq; reliqueris æqui:
Et potius rationem hominis, quàm numinis in re
Duxeris. hinc quantũ tua fert prudẽtia, adhortor
Et moneo: ut caueas quidquam committere iniquũ
Aut quid, quod iustum sit, prætermittere. cum te
In summo uideam positum discrimine: propter
Intimum, & eximiũ, quo te complector, amorem,
Non possum memet compescere: quin tibi quamuis
Prudenti, & cauto monitus perscribere quæram:
Quos proficiscentes sincero ex corde profunde
Commendare animo debes: memoriq; tenere
Ingenio: quos si sensu, captuq; tuopte
Hauris, & obseruas: tibi gratandum: mihi uerò
Parcendum: quoniam nimius timor urget amãtes.

AD IO. BAPTISTAM FVSCHINVM PRAETOREM.

ID Fuſchine mei ſemper moris fuit : ut quos
Noſcam ſpectatos aliqua uirtute, aliquo'ue
Doctrinæ ſtudio, uehementer amem, cupiamq;
Coniunctos mihi amicitia. à me tu quidem amatus
Ex illo es, quo te cognoui tempore ſanæ
Doctrinæ addictum, & pulchræ uirtutis honeſto
Detentum ſtudio : in cuius ratione ſubinde
Quantò plus à te profectum nouimus eſſe:
Tantò maiori cumulo ſe ſuſtulit in te
Noſter amor. quare cum uix ſupereſſe uideri
Quid poſſet : cuius cauſa meus augeretur
Erga te affectus : me ſcripto carmine nectis
Arctius, atq; meum potiori obſtringis amore
In te animum : plenoq; tuum me iure facis ſic:
Vt nihil officij, ſtudijq; mei queat eſſe:
Quod non conſtituam tibi protinus impendendum:
Si quid opus foret. & ſi quæ tu carmine nobis
Adſcribis, minus agnoſcuntur adeſſe: tamen cum
Te candere animo multum, multaq; nitere
Simplicitate ſciam: non arbitror obtrudendi
Palpi te cauſa ſimulate ſcribere : ſed quod
Scribitur, ex animi affectu prodire benigno,
Propenſoq; in me reor. hinc dum cogito tantò
In nos affectu te tangi: ut fallere poſſit
Vel prudentem adeo : fit planè, ut plurimũ amẽ te:
Afficiarq; in te ſumma charitate uolens par

Pendere

P endere,& exoptans tibi respondere uicissim,
S iue igitur laudem defers, siue officium offers ,
T e nostri cupidum,nostri te ostendis amantem.
Qu i non agnosco laudes,agnosco calentem
A ffectum.qua tu sanè ratione mereris
N on commendari solum,sed maximo amore
C omplecti:qui dum pro conditione benigna
N aturæ longè nobis plus attribuis , quàm
P ar sit , uel quàm nostra ferat inscitia:tam non
E s damnandus,tanquam qui fallaris : ut hinc te
M irificum bonitate probes,animoq́; modestum
S ignifices . cuiusnam est inditium id bonitatis ?
Qu alis nam'ue modestiæ id emicat argumentum ?
V t quam doctrinæ causa laudem merearis :
E t quem personæ respectu quam geris, à me
P romereas cultum,mihi suscipias tribuendum
À te . dum laudas me,dignum laude probas te .
E t quod præconi tentas adscribere nobis :
I d tibi deberi conuincis carmine scripto :
Qu od non dicendi pura ratione nitescit
D untaxat , sed casto etiam dulcescit amore.
Qu o factum,ut mirer dicendo iure, foroq́;
D etentum numeros tam prompte nosse latinos:
E t tam candentem normam seruare loquendi :
Qu od quantò iam nunc contingit rarius : à te
T antò maiori præstatur laude . quod ergo
I am superest,tibi si quid opus,quod nostra facultas,
P rouentusq́; queat tolerare, rubore repulso,
O ro petas , poscasq́;. tuæ quod commoditati
I nseruire queat:ne te timidum,rogo,præstes

Poscendo. ne fortè timens obstringere temet
Abstineas petere: admoneo nihil inde timendum
Esse tibi: quoniam quodcunq; poposceris à me:
Expensum mihimet uolo, committoq; referri.
Vt quoties poscis, toties me nomine scripto
Obstringas, totiesq; tuo me creditor æri
Adscribas. instar meriti ducturus ego sum
Suscepti, quidquid tibi præstari, tribuiq;
Contigerit. cum sis exoticus, atq; aliena
In patria degas: fieri uix posse putarim,
Quin aliquo indigeas, cuius sit copia nobis.
Quatenus extendunt se, uiribus utere nostris:
Nec prorsus patiare aliquid tibi deesse, quod adsit
Nobis; sed nostrum est quodcunq;, tuū esse putato.

AD HIERONYMVM LIBANORVM.

SVm modo Libanore tibi compassus: eo cum
Te uidi ætatis uectum sine coniuge, & absq;
Prole aliqua: ut senij attigeris confinia. rursum
Magna tui me perstrinxit miseratio: quando
Aspexi te non nimium bene corpore habentem
Cum paruo, & segni puero, ancillaq; licenti
Aedibus includi uastis, de gente tua non
Existente aliquo: quem præstituas tibi demum
Hæredem rerum, possessoremq; bonorum.
Quamuis diligerem te sat, multumq;, prius quàm
Te coram nossem: acceptusq; forem hospitio à te.
Consuetudo tamen tua, conuictusq; benignus
Tantum incrementi nostro in te adiecit amori:

Vt iam uix ſuperet: quo tu fieri mihi poſſis
Carior. unde fit, ut cupiam, ac optem tibi ſummo
Affectu quodcunq; bonum rear eſſe, putemq́;
Ad uitam ſpectare hominis præſtanter agendam.
Quapropter quædam ſtatui perſcribere, quæ te
Cuſtodire uelim, internoq́; affigere mentis
Propoſito cupiam, quæ partim corporis ad rem
Attineant, partim ſpectent animæ utilitatem:
Quæ te praua ualetudo uexare uidetur:
Hæc ortum trahit à ſegni, cauſamq́; ueterno:
Quo preſſus motum odiſti, captasq́; quietem.
Ne dilaſſeris gradiens, dimittere greſſum
Non ideo debes: pigroq́; quieſcere ſeſſu.
Vlterius, quàm pigrities patiatur, oportet
Adniti, ſi uis extrudere debilitatem
A' membris. uires creſcunt conatibus: & quæ
Corporis eſt uirtus, exercita ſuſcipit auctum.
Quod tibi ab inceſſu ſentitur debilitatis,
Corpore paulatim excedet: ni ceſſeris ultro
Segnitiæ, uiresq́; remiſeris, & conatum
Contra torporem, quicunq; grauare uidetur
Nūc labor, haud quaquā referet tibi deinde grauā.
Poſtquā reſtiteris, tulerisq́; aliquādo. quies quā (mē:
Appetis, & captas, inducit corpori inertem
Langorem, & membris innectit debilitatem.
Quantum exercueris temet, motuq́; citaris
Impigro: tantum decedere debilitati
Corporis experiere. labor, motusq́; tuentur
Vitam, & conſtituunt uires in corpore. contra
Verò quies mortem inducit: demitq́; uigorem

Corporis,& neruos,artusq́; resoluit.abhorres
Quatenus à motu: mortem tibi contrahis,& te
Infirmum reddis, morbumq́; in corpore nutris.
Quæcunq; exterius membris fomenta adhibentur:
Non satis hæc facere ad robur, uiresq́; putamus
Corporis: interius quas credimus extenuari
Et solui nimio fotu. quod concipis esse
Vtile, non mediocriter arbitramur id esse
Damnosum. tibi dum pariter conducere credis,
Vt uacuo pergas dormitum uentre,nihilq́;
Assumas, capiasq́; cibi,nisi mane, putamus
Te falli grauiter: quoniam quæ debilis,& quæ
Extenuata humoris naturalis habetur
Vis, etsi modici,poscit, quæritq́; frequentem
Suggestum succi. cum nigra bile labores:
Ne mentis uehemens impressio deterius quid
Reddat,uel referat,dubito uehementer. adhortor,
Vt uictus rationem ineas, non quæ tibi plaudat:
Qui sis corrupto sensu: sed quæ medicos se
Ad canones habeat recte: quadretq́; tenori,
Aut arti medicæ.non uita tibi diuturno
Tempore ducetur, ni de ratione recedas
Cœpta uiuendi: quæ non dissentit ab arte
Tam medica,quàm naturæ disconuenit ipsi.
Causa animi quodcunq; tibi cupiam obseruari
Vtile, non solum præsentis spectat honorem
Vitæ,sed uenturæ etiam post fata salutem.
Poscit honos uitæ istius, poscitq́; futuræ
Acquirenda salus: purges,mundesq́; penates
Quisquiliјs: quæcunq; creant offendiculum, uel

Peccatum generant. umbras excludere, & extra
Amandare domo, quibus obscuraris, oportet.
Quod tibi gurgulio absumit, uitiatq; teredo,
Praebe inopi, praeferq; Deum lurconibus. atram
Quae uitam reddunt: quae nomen dedecorant, et
Quae turpem inducunt famam, uitare necesse est.
Ad quod praestandum, si qua fortasse laboras
Idcirco ratione, aliquam tibi foedere sancto
Expedit ut iungas, cum qua sub relligionis
Praescripto uiuas, degasq; decenter honesto
Conuictu. haec multum te consuetudo iuuabit:
Nec minus adijciet decoris, quàm cõmodi. agendam
Ad uitam feliciter: est nil, quod faciat tam,
Quàm ratio uiuendi recta, & honesta: quietum,
Contentumq; hominem reddit non copia rerum:
Sed mandatorum obseruatio diuinorum:
Qua coelestis amor, uel gratia conciliatur
Patris. ut absurdum hoc, impacatumq; relinquas
Viuendi genus, excludasq; domo, quod honorem
Inficit & praestat peccandi commoditatem:
Est opus, uxorem ducas, cum qua rationem
Vitae ineas prorsus licitam, noxaq; carentem.
Si qua igitur te cura mouet, uel tangit honesti
Seruandi: si quod studium uitae cadit in te
Aeternae: quae consuetudo detinuit te
Hactenus haud quaquam conformis relligioni,
Dimittenda tibi: & coniux ducenda: propaget
Quae genus: & patrem faciat te prole, domumq;
Instruat: & curas reddat sociata minores.
Cum iam uer praeceps instet: tempusq; serenum

Existat: uentisq; uacet humentibus aër:
Opto fidem obstrictam soluas ad nos ueniendi:
Quod sane faciens non rem solum mihi gratam
Efficies, sed ualde etiam tibi proficientem:
Qui cœlo poteris multum sentire iuuamen
Mutato tam causa animi, quàm corporis. ut sit
Commoda bile nigra obsessis mutatio cœli,
Atq; peregrinatio: sunt ex classe probata,
Qui scribant, referantq;. igitur tibi consule, nosq;
Fac lætos, & solue fidem accedendo repente
Huc ad nos. longe meliorem te rediturum
Spondeo, & exauctum te uiribus, atq; ualentem
Esse reuersurum promitto. simul fueris hic
Nobiscum: haud te consumi torpore sinemus:
Nec segni accubitu tabescere te patiemur.
Ad colles te ducemus, montanáq; rura
Nostra quidem Casulana, nepotis Castrinouana.
Liberior his aura locis prodesse fugando
Pallori poterit, pulchrumq; afferre colorem
Oris. ab hoc sensus expergiscentur inertes
Aëre: quod plane recreando animo fuerit tam
Expediens, quàm confirmandis utile membris.

AD IO. BAPTISTAM FVSCHINVM PRAETOREM.

IAm me corripuit saties Fuschine sciendi.
Humanæ istius doctrinæ nausea iam me
Inuasit. quin pœnitet impendisse labores
Tam iuges uanis rerum scrutatibus: unde

Prodeat extremo nil fructus, nil'q; salutis.
Afflixi, torsi'q; diu me rebus in istis
Noscendis mundi: & causas scrutatus inanes
Oppressum tricis animum, uano'q; labore
Implicitum tenui. tam nil me sentio adeptum,
Quod sapiat: sensu'q; oblectet: amaror ut inde
Se uehemens referat: stomachũ qui suscitet, & qui
Perturbet mentem. importuna cupido sciendi
Numinis offensi in pœnam successit: & ipsi
Est iniecta homini: simulac deliquit: & iram
In se diuinam contraxit. solicitudo
Anxia noscendi non ante hominem arripuit, quàm
Peccauit: noxa'q; Deum, uitio'q; reliquit.
Tam non ulla hominem satiat scrutatio rerum:
Vt affligentem semper producat orexin.
Tam non seruando tractata scientia rerum
Quit conferre homini: ut de tramite relligionis
Sinceræ detrudat eum, priuet'q; salute.
Nam mens noscendis rebus detenta Deum non
Cogitat, & diuina, sequens humana, relegat.
Si uel Mercurij totas, plenas'q; columnas
Quis uoret, & quidquid scriptis Aegyptus, & Indi
Tractarunt, auido concludat pectore: nunquam
Bulimon compescet, sedabit'q; molestam
Esuriem. nunquam quod pertinet ad rationem
Finis, inibit. habent duntaxat dogmata Christi,
Quod satiet, sedet'q; sitim, referat'q; salutem.
Traditio Christi normam, methodum'q; salutis
Continet: & finis rationem reddit apertam
Humani, & præscribit iter, quo uita ineatur

Felix: & celsi regio subeatur Olympi.
Cætera sunt hominum mera nugamenta, meræq;
Decipulæ, nihil ad rumbum spectantia: nilq;,
Quod uere conducat, habentia. continet omnes
In se thesauros Christus sapientiæ: & in se
Omnem perfectæ, solidæq; scientiæ habet uim:
Ad quem cum refero memet, mentemq; repressis
Sensibus attentam reuoco · me nausceа mundi
Istius apprendit: sordent mihi cuncta, cientq;
Atq; mouent stomachum. mihi inania quæq; uidē-
Plenaq; turbarum, uaniq; laboris: habentur (tur,
Quæ passim in precio. Christi mihi regula cuncta
Curua probat: quæcunq; palàm, uulgoq; putantur
Recta. nihil præter Christum conducit agendo
Ad felicem homini uitam, finemq; tenendum.
Vt primi peccando homines finis rationem
Ignotam fecere: Deoq; genus statuere
Auersum humanum: cura, studioq; sciendi
Se torquere homines cœpere, modisq; alienis,
Diuersisq; uijs finem perquirere. eò tam
Cognoscendi omnis ratio, quàm prorsus agendi
Se uertebat: uti finem comprenderet, atq;
Assequeretur. in errores uarij ratione
Sunt lapsi uaria: nullusq; repertus eorum est:
Qui ueri finis rationem apprenderet. usque
Ad Christum in tenebris uersatum, et nubibus, et nil
Certi compertum. ut Christus sapientia patris
Se tulit in mundum: sic humani rationem
Explicuit finis: sic opportuna saluti
Quærendæ ostendit: nihil ut dubitabile factum

Sit reliquum: quærî́q; nihil contingat habenda
Vlterius pro notitia finis. supereſt nil
Amplius: ut quoquam ſtudio, curá́q; ſciendi
Angamur: cum Chriſti opera teneamus apertam
Notitiam finis: clarumq́; habeamus id omne:
Quod ſciri expediat: noſcíq; ſit utile nobis.
Oſtendente uiam Chriſto non eſt opus ultra
Ire per ambages. Chriſto lumen referente
Non opus in tenebris contendere: non dubijs eſt
Hærendum Chriſto uerum monſtrante. ſalutem,
Et uitam Chriſto tradente inſiſtere uanis
Quærendæ famæ ſtudijs non amplius eſt, cur
Curemus. non eſt, quòd curam, operamq́; locemus
In rebus noſcendis, ſcrutandisq́; ſecundis
Cauſis, cauſarum, rerumq́; ferente palàm ſe
Cauſa. poſtpoſitis igitur, miſſisq́; ſeorſum
Notitiæ humanæ ſtudijs Chriſto ſtudeamus,
Chriſto incumbamus referendo. ſola beatum
Contentumq́; hominem complexa ſcientia Chriſti
Reddit, & ad ſolidam ducit iucunda quietem.

AD FRANCISCVM MARTELLVM.

Silenos Alcibiadis Martelle referre
Malim, quàm Rodios repræſentare coloſſos.
Interior ſpecies multò affectanda magis, quàm
Exterior. longè pluris ſpecies facienda
Eſt animi, quàm corporis. oſtentatio, quæ fit
Exterius, tantum internæ cedit rationi:
Quantum interna rei ſubſtantia præſtat ei, quod

Accidit exterius. planè unumquodq; putandũ est
Tantò nobilius, tantóq; potentius esse:
Quantò se specie prodit minus exteriori:
Et quantò minus expositum se sensibus offert.
Hinc Deus est cunctorum perfectissimus: immo
Est rerum perfectio quarumcunq;: tametsi
Obiectus nullis sit sensibus. apparere
Qui studet, exteriusq; cupit, quæritq; uideri:
Is talis non est, qualem se monstrat, & offert.
Pictis sarcophagis, exalbatisq; sepulchris
Sunt similes, quicunq; student, cupiuntq; uideri.
Nam cum pulchra foris uideãtur, putrida claudunt
Intus membra: cadaueribusq; referta solutis
Sordescunt. hominum duplici ostentatio habet se
Conditione. alius nimium tribuens sibi, quamq;
Re queat, ignorans se monstrat, nec minus ipsum
Se fallens, quàm alios adsciscit, quod sibi adesse
Credit: qui sanè cum falsus fallat: habet, quod
Fraude minus peccet. censendus eatenus est is
Duntaxat peccare: philautia quatenus in se
Peccati admittit rationem. alius sibi abunde
Conscius, & noscens semet fingit, simulatq;:
Et fallendi animo ductus se monstrat eum, qui
Non sit. ut ille prior tanquã male sanus habendus
Est dignus uenia: sic posterior ratione
Est omni damnandus, tanquam qui faciendo
Incumbat fuco: & studeat captare dolose.
Qui cupit, affectatq; uideri, siue placendo
Id faciat sibimet: simulando siue procuret
Fallere, protrudit fumos: & porrigit umbras

Re non existente. philautia non sequitur rem
Ipsam : cum re non simulatio conuenit. hi non
Re uera sunt, qui curant, cupiuntq; uideri:
Quiq; student extrinsecus ostentare . merentis
Virtutis ratio est eiusmodi : ut exigat extra
Nil sibi : nec curet quidquam, quod deforis:immo
Semet sufferta,& pretio contenta suopte
Nil petit exterius . passim prodesse procurat
Ingenua,& fructus gaudet proferre benigna:
Quo se summittit magis,& quo quærit honores
Externos minus,hoc fit commendatior : & se
Attollit merito laudum sublimius. unde
Quos fugit,& minime curat, incurrit honores.
Non fallax uirtus, ostentatrixq; petito
Exterius cultu, sed simplicitate nitescens
Longe plus præstat, quàm spondeat,& studiosa
Interni cultus curat neutiq; uideri.
Non laudis,non humanæ se præbet amantem
Gloriæ : & affectu non tangitur apparendi
Vllo,nec fucum quærit, quin spernit inemptum
Iudicium uulgi,& plausus odit populares.
Nullum existentis maius uirtutis habetur
Argumentum, quàm non ostentare,nec extra
Quærere quid præmi,aut laudis . sibi sufficit ipsa
Virtus nequaquam pendens aliunde. fugax nil
Expetit, aut uanum:cuiusmodi habentur honores
Hi uulgi,nihil effluidum , uel futile quærit.
Ad proprium exemplar solum se dirrigit:in quod
Spectat,& incumbit tentans effingere ad eius
Se speciem:qua cūcta nitent,quæ pulchra,placētq;.

Contempto uulgi plausu, explosoq; placendi
De foris affectu simplex, genuinaq; uirtus
Respicit, affectatq; Deum, & solummodo quærit,
Vnde ortum deducit, eo se ferre. caduco,
Mortaliq; nihil cunctata ascendere in altum
Molitur, speciemq; sui exemplaris adire.

AD LANFRANCVM GYPSIVM.

QVám Sauonēsis mihi sit Lanfrance Phaletus
Acceptus, carusq;: satis deprendere quis tu:
Qui uarias eius dotes, promptumq; poesi
Ingenium nosti, & multo sparsos sale mores.
Ex illo, quo te mihi cognitus indice, factus
Intimus est ualde: multoq; adiunctus amore est.
Sæpe istic unà fuimus, fuimusq; locuti
Sæpe simul. deprendi hominem melioribus esse
Addictum scriptoribus, & uehementer amicum
Musarum: & rerum perfusum cognitione
Miscella. leges benè sic apprendit, ut illas
Explanet scriptis. dicendi pollet utraq;
In specie prorsa, & uersa. non carminis ullum
Est genus: in quo se facilem non præbeat, & non
Se præstet comptum. Hetruscæ, Latiæq; potens sic
Est linguæ, ut quidquid uult, proferat, & dubitari,
Vtrius excellat magis in dictamine, possit.
Dum mecum foret istic: is sese mihi totum
Exposuit: rerumq; suarum plurima mecum
Contulit, ac animo mihi significauit amico:
Inter quæ retulit, se seruitio retineri

Principis: & minime tantum ſibi ſuppeditari
Aeris: ut expenſas uictus poſſit tolerare:
Et cum cenſura iuris clareſcat utraq;
Non ſupereſſe tamen: quo ueſtes conditione
Conſulti dignas hominis paret, & grauitati
Legali reſpondentes. ſanè ſtomacho id nos
Non mediocri accepimus, & ſumus admirati
Summopere: ut patiare hominem non ingenuũ tã
Moribus: ornatum quàm multiplici ratione
Doctrinæ tam parua ſtipendia conſequi: ut unde
Veſtimenta ſibi redimat: ſeruetq; decorum,
Non habeat. tua conditio cum principe cum ſit
Talis: ut ad ſuaſum, nutumq; tuum redigantur
Pleraq;: non leuiter noſtro peccare uideris
Iudicio, nec iuſtitiam committere contrà
Leniter: officium dum non impendis, opemq;
Non præſtas: ut dignum uirtuti tribuatur
Præmium, & ex meritis merces ſtatuatur. abundes
Cum tu doctrina: delecterisq; ſciendi
Artibus ingenuis, tam porro pertinet ad te:
Vt doctos tuearis, procuresq; iuuare
Addictos literis: ut de ratione decori,
Officijq; tui ſis deceſſurus: id omni
Ni tentes ſtudio, atq; acri nitaris in id ui.
Rem doctorum hominum tam procurare decet te:
Vt nil maiori poſſis cum laude ſubire:
Nec præſtare aliquid ualeas: quod congruat æque
Præclaro, doctoq; homini, cuiuſmodi haberis
Tu uulgo. quare ni degenerare tuamet
Vis à conditione: cupisq; alium penitus te,

Quàm deceat præstare: hominem ratione scientem
Multiplici & uaria ornatum uirtute iuuandum
Suscipito, curáq; omnì, auxilióq; fouendum:
Vt possit studijs operam nauare uirilem,
Et quod musarum, legumq; dicauit honori
Ingenium, queat ingenue exercere sine ullo
Dedecore. ut libri obstringantur fœnore apellæ
Argentario: ut informis uersura ineatur:
Quo toleret uictus impendia: si patiare,
Cum possis succurrere: deficies ab honesta,
Atq; pia ratione hominis: quam tu profiteris.
Quin quod dedecoris uirtutis homo studiosus
Vestitus causa, uictusq; subiuerit: omne
Id tibi, uel domino passim tribuetur, & in te
Iure redundabit potiori: qui rationem
Non habeas, quam præcipue conducat haberi
Tam pro conditione tua, quàm principis. ergo
Ne uideare tuo, dominiq; potentis honori
Deesse, rogo, ne quo pacto, aut ratione Phaleto
Desis: cui quantum dandum curaris, id omne
Expensum, recte rationi adscribere quibis.

AD IO. BAPTISTAM FVSCHINVM PRAETOREM.

Quæ nuper Casulani glycirrhiza uireto
Est effossa, tibi mitto Fuschine, uolóq;
Muneris id minime expendas de corpore, (déq;
Externa specie, sed de uirtute salubri,
Et succi interna bonitate. minoris habetur

Non hæc uirtutis, quàm quæ defertur ab ora
Cappadocum, Pontíq;.eadem dulcedo, eademq́;
Succi conditio. præter mitem, placidumq́;
Dulcorem, quem de terra mira ratione
Haurit, & immutans coquit hæc radicula: sese
Sic habet, ut certum algoris, calidiq́; tenorem
Contineat: mixtumq́; æquali humore teporem
Comprendat. radicis ea est substantia dulcis:
Vt propè temperiem accedat compaginis æquam:
Et ualde humanæ conformem conditioni
Se præstet moderatæ. quare adhibetur in usus
Complures medicos. complura iuuamina ferre
Corporibus reperitur. habet, quo prosit ab æstu
Correpto stomacho. stomachi, iecorisq́; tumores
Soluit, & externas sensim protrudit in auras.
Leuigat horrentes fauces: thoraceq́; uiscum
Explicat, & facilem excretum producit. abunde
Renibus affectis succurrit: & auxiliatur
Vesicæ, menses ciet, urinamq́; lacessit:
Insignem uim laxandi, partes q́; iuuandi
Quasq; tenet. contrà tussim ualet, & mediocrem
Affectis non præbet opem pulmonibus. ullus
Pectoris affectus non est: cui commodus huius
Non sit radicis succus. pleuritide tentum
Adiuuat, & tabem properantem fortiter arcet.
Hidropisi opportuna sitim restinguit: & aufert
Esuriem suctu commanducata liquenti.
Penè genus nullum est morbi: quod nõ queat huius
Radicis suffectu aliquod sentire leuamen.
Non solum succi expressi ratione iuuamen

F erre poteſt radix, uerum contuſa, lociſq;
A pplicita affectis multum prodeſſe putatur
P oſſe. adeo eſt huius ratio, naturaq; præſtans
R adicis: minus ut guſtu non grata palato
S it dulci, quàm conducat uirtute ſaluti
C orporis eximia. in fruticum non arbitror eſſe
N atura quidquam, quod tantum proſit, & æque
D electet guſtum. uix cenſeo quid reperiri
E ductum terra: quod tam deſeruiat uſus
A d medicos, & tam contrà delectet in eſu.
S i ſolum Ponti regio produceret iſtam
R adicem: nec tanta foret radicis apud nos
I ſtius fœtura: nihil æque pretioſum
E ſſet, & impenſa dignum potiore. quibusq;
C opia diminuit pretium. non gratia multis,
Quæ paucis. reddit caras res maxime egeſtas.

AD GERARDVM MACIOLLVM.

Q Væ ratio ſtudiorum communis fuit annis
A' teneris, & quæ conſuetudo pueros nos
D etinuit ſtudioſa: adeo uinxere Gerarde
N os animis: ut nullo temporis interuallo,
A tq; loci ſpacio coniunctio noſtra reſolui,
A ut dirimi ualeat. primos quæcunq; per annos
S unt coniuncta, hærent ſemper ſic firmiter: ut uix
D iuelli poſſint. licet intermiſſa parumper
I nter nos ſit conſuetudo, manente domi me,
D um tu ius dicis ſumma cum laude per urbes
I taliæ claras: tamen optima opinio: quæ de
Moribus

Moribus & uirtute tua contracta semel iam
Est mihi & insigni firmata probamine: tanti
Ponderis est, ut sufficiat uel sola tuendo
Nostro in te, quamuis cessarent cætera, amori,
Quæ uitæ, & morum ratio mansueta renidet:
Et quæ simplicitas grauitati iuncta redundat:
Te mihi sic carum faciunt, ut pectore toto
Accipiare. tibi, quæ multiplex uiget usu
Cum multo doctrina, facit, ne quem rear inter
Nostrates, quem iure queam componere tecum.
Hinc fit, ut eximio non solum deferar in te
Affectu, sed magno etiam ueneramine tangar.
Ex nostris quisquam non plures gessit honores:
In patriam nemo plures cum laude triumphos
Detulit, & decoris maiorem lauream adepti
Induxit. te præcipuum patriæ ornamentum
Arbitror esse: tuæ seu uirtutis rationem
Subducam, seu mente magistratus tibi functos
Euoluam. te Flamminiæ prouincia plausu
Prætorem excepit. te Cisalpina regente
Gallia lætata est. Ligurum urbs te nobilis usa est
Iudice. libertate potens, licet angustata
Finibus Hetruscis respublica proxima Pisis
Præfectum adsciuit uirga, & lictore potentem.
Te post Euganeos rectos, urbemq; bicornis
Eridani summo moderatam iure creauit
Quinq; uirū pulchra, atq; opulens Florentia: quæ cū
Fulgentem claro teneat te munere, uix iam
Fit reliquum, ut fungendo magistratu ualeas te
Amplius efferre. ad summum propè culmen honorū

Es uectus. tibi uix superest, quo reddere possis
Te clarum magis, & celebrem. licet integritatis,
Doctrinæq; tuæ ratio non sat uideatur
Ferre, ut cuiusquam dictis monearis: amor
Te tamen interea nostro concedere tantum
Expeto: ut accipias propensis auribus, & ui
Iudicij attenta: quæ se referunt ab amico
Pectore, & ex animo ueniunt te maxime amanti.
Et si tu tantum per te sapis: ut monitis non
Indigeas alicuius: amor tamen eximius, quo
In te commoueor, facit: ut ratione decori
Non habita tentem sus Pallada, coner Athenas
Noctuam. honos omnis, dignatio quæq;, potestas
Quælibet est authore Deo introducta. Deus hæc
Inferiora regit, ueluti suprema, ministris
Appositis. sicut statuit Deus intellectus
Præscripta cœlos moderantes lege ministros:
In terris ita constituit, qui legibus æquis
Ureq; conserto regerent humana: genusq;
Nostrum hominum moderarentur. prouincia iuris
Dicendi est diuina. Deum certa ratione est
Quisque magistratus repræsentare putandus.
Vnde magistratu cum tu fungaris, oportet
Imprimis animum aduertas: tibi ne quid agatur:
Quod non conueniat, uel quadret conditioni
Diuinæ. in quam cum non affectus cadat ullus:
Idcirco affectum debes excludere quenque.
Non personarum ratio tibi debet haberi
Vlterius, quàm iustitiæ patiatur, & æqui
Examen. non gratificandi alicui ratione

De recto debes decedere. nulla potentis
Cuiusquam sperata aura ad prauum, uel iniquum
Ducere te debet. cura, studioq; cauendum
Est omni, ne fixa lucri, rerumq; cupido
Te trahat auersum: cogatq; admittere quidquam,
Quod iuri aduersetur, iustitiæq; repugnet.
Exposcit pariter diuina imitatio, ut æqui
Ad normam, iustiq; tenorem quenque iuuare
Procures: nullumq; à te discedere inanem
Officij, meritiq; sinas. nihil utilitatem
Ad propriam uertas, propriæ nil commoditati
Attribuas: poscit recte, iusteq; gerendi
Norma magistratus. cum iudicio, & censura
Tu præsis reliquis, tam non committere debes
Quidquam, respectu cuius censura subiri
Iudiciumq; queat uulgi: ut deceat nihil æque
Prospici, & exacta pariter ratione caueri.
Tam non gloriolæ quidquam deferre decet te:
Vt quanto magis excellis uirtute alienum,
Tanto conueniat magis, & conducat ab illa
Captanda temet præstare. nihil magis arctat
Gloriam, & extenuat, quàm demonstrata cupido
Eius. nil tantum aduersatur gloriæ honestæ
Conciliandæ, quàm captatio, & immoderata
Ipsius sitis. humana insequitur fugientes,
Et fugit insectantes gloria. non cupidus quis
Gloriæ habetur, quin idem ambitiosus abunde
Existat. quem uero detinet ambitio, uix
Quit fieri, quin fastu peccet, & improbitate.
Cum decidendum, decernendumq; tibi quid

Occurrit: te continuo meditare ministrum
Esse Dei, quodamq; Dei te munere fungi:
Dum præstas, adimisq; homini: dum iudicium fers
Absoluens, damnansq; hominem. perpende tui uim
Muneris, & rationem eius benè dispice. quid sit
Conueniens, quid iustitiæ respondeat, & quid
Moribus applaudat: contenta mente teneto:
Nec facito quidquam, quod dissideat rationi
Diuinæ, humanæ'ue. modum seruare memento,
Ne nimium facias, nec pecces deficiendo.
Sic actus moderare tuos, uitæq; tenorem
Sic statue: ut temet populi conspectibus esse
Expositum ducas: oculisq; quibusq; rearis
Obiectum. porro res ardua functio honoris,
Difficilisq; magistratus prouincia agendi.
Sed nil difficile est adeo, quin possit obiri,
Præstariq; homini: qui sana mente, pioq;
Proposito procedat: & assiduam teneat spem
Numinis, & referat sese ad diuina, Deumq;:
Quo fautore quidem nil non procedere quiuit,
Nil non felici potuit succedere casu.
Ergo magistratum si uis sine labe, notaq;
Ducere, & exactam rationem attingere honoris
Commissi: confide Deo, imploraq; fauorem
Diuinum, sine quo nil pulchrum, aut nobile cedit.

AD FVSCHINVM PRAETOREM.

Qvæ nobis Fuschine Dei seruanda colendi
Sit ratio: quæ lex sit constituenda precādi
Orandiq; Dei: tecum conferre parumper,

Nunc libet: atq; breui uersus tractare notatu.
Haud quaquam est animus nobis describere quidq;,
Quod ueterum monitis dissentiat, atq; repugnet
Dogmatibus sacris: quoniam quæ publice honorem
Diuinum referunt: quæ sacra Deo peraguntur
In templis, tanquam rite introducta probamus.
Quandoquidē quæ uerba ferunt, quæ signa tenent:
Omnia conducunt animo, mentiq; mouēdæ: (hæc
Cum sit, qui percellat, sensus, & exterius re
Afficiat. rerum ingressus fit ad intellectum
Primo per sensum. sensus quàm maxime agendo
In diuina animo conducit. habent rationem
Verba animi geminam afficiendi. siue ferantur
Ex scripto formata prius, seu concipiantur
Mente ita, ut ipsius designent intima mentis:
Afficiunt utroq; modo, rationeq; utraq;
In cultum diuinum hominem ducunt. ueluti quæ
Ex scripto prolata, mouent, perceptaq; mentem
Afficiunt: sic quæ referuntur prodita mente,
Et concepta animo, motu potuere relato
Mentem ipsam, animum'ue excire internius. at cum
Mens ualet affectu, polletq; insigniter: ultra
Non opus est uerbis, nec uerbis amplius ullus
Est usus. mens sola Dei cultum potiorem
Exhibet, appositaq; magis ratione ministrat.
Non studiosa tamen speculatio perficiendum
Sufficit ad cultum: sed opus procedere: donec
Cultus, honosq; Dei, quam possit summam adipisci,
Accipiat respectu hominis. qui mente, animoq;
Sic nitet, & uita sic pure præstat, & actis:

Vt referat, ſimuletq; Deum, præſtabit eum, qui
Maximus, & proprius præſtari poſſit, honorem.
Non habet, unde Deo maiorem ſignificatum
Præſtet homo cultus, quàm de ſimili ratione
Virtutum, factiq; imitamine. maius amoris
Iudicium non eſt, quàm quod præbetur amati
Moribus expreſſis, placitiq; relatibus iiſdem.
Ad normam quicunq; Dei ſe dirigit, & qui
Præſcriptis, monitisq; Dei ſe mancipat: is tam
Præcipuus fuerit cultor, quàm inſignis amator.
Exterius quæcunq; ſacris adhibentur apud nos:
Symbola ſunt cultus, animo quicunq; Deo ſit,
Interius præſtandus. ea qua ſignificant, ui
Afficiunt æque; ſed res non ſigna, animus, non
Verba Dei cultum abſoluunt, perfectaq; ſacra
Conſtituunt. ſummam diuino imitatio honori
Adfert: & totam complet cultus rationem.
Quæ ratio orandi nobis ſtatuenda Dei ſit,
Non facile agnoſcet, qui neſciet, utile quid nam,
Quid'ue bonum uera exiſtat ratione. bonorum
Latius, ac par ſit, ratio ſuſcepta operatur:
Vt uariis compellet homo precibus Deum & oret
Multiplici uoto uano diſtracta uoluntas
Affectu bona opinatur, quæcunq; caducum
Reſpiciunt corpus, faciuntq; ad commoda uitæ
Iſtius mortalis, & hinc deducitur, ut res
Expetat humanas, &, quæ ſunt corporis, optet
Præcipue impetrare, ſed unum cum proprie ſit,
Perfecteq; bonum, quod prorſus mentem, animumq;
Reſpiciat: nemo, qui ſane ſentiat, ultra

Quid sibi poscendum interea, orandumq; putabit:
Quàm cuius grato susceptu uita perennis
Reddatur, iugiq; salus comitata quiete
Exultet. non ergo Deum debemus adire
Orando: quo diuitias impendat, opes'ue:
Non quo progeniem tradat, corpus'ue salubre
Constituat, non quo fructus reditusq; propaget.
Sola salus animæ poscenda, bonumq; petendum
Duntaxat mentis. non est, cur præterea quid
Oremus. reliquorum uana petitio prorsus
Existit, non doctæ artes: non gloria quidquam
Extremo prosunt, prosunt nil deniq; honores.
Non est humanis in rebus, quod mereatur
Optari, oblataq; Deo posci prece. tanti
Non est momenti res corporis, ut Deus hinc sit
Orandus. ratio solum ducenda salutis
Est animæ, Deus est animæ causa rogitandus.
Duntaxat scopus orandi seruatio debet
Esse animæ, præter rem cætera cuncta petuntur:
Optanturq;; nihil refert, quo cætera tendant,
Qu'ue cadant, animæ modo prospiciatur, abūdāt
Quæq; nihil penitus tuto deposcitur, atq;
Expetitur, præter uirtutem, animæq; salutem.

AD FRANCISCVM MARTELLVM.

CVm Deus affectū ignoret Martelle, modoq;
Nullo immutari possit: sed semper eadem
Se ratione habeat: dubitari aliquando potest, cur
Irasci dicatur, & oratu memoretur

Supplice placari. non hinc dubitatio oriri
Parua potest: ut sacra queant prodesse, precesq;
Porrectæ: si se Deus affectus patientem
Non tribuit. quòd si precibus contingit, utres
Immotas præstet Deus, incassumq; rogetur
A' nobis, cur præterea sacra instituuntur,
Funduntursq; preces? sunt sacra, precesq; mouendis
Nobis inductæ. bonitas diuina refert se
Passim: diffunditq; Dei se larga per omnes
Naturas uirtus uaria ratione, prout fert
Quæq;, potestq; capessere. quamuis nobilioris
Naturæ sit homo, & propiore Deum ratione
Respiciat respectu animæ: idcircoq; capacem
Se præstare magis ualeat: tamen à ratione
Degenerat propria: si se concedat agendum
Sensibus, & rebus se præbeat afficiendum
Corporeis. qui uerò Dei desiderat auram
Suscipere, influxumq; Dei exhaurire: necesse est,
Supplicijs, precibusq; animum diuertat ab imis,
Sublimemq; ferat. ni habilis reddatur, & aptus
Ad susceptum animus: nunquam Deus ingredietur
Qui bonitate sua, quantum permittitur, afflat
Quenq; animum, nullumq; sinit bonitatis inanem,
Expertemq; suæ: modo se non summoueat, nec
Præbeat auersum. non ergo preces, neq; sacra
Conuertuntur eò: ut Deus in nos afficiatur,
Aut nobis placetur: habet qui semper eodem
Se pacto: sed quo reddamur idonei, & apti
Nos Deo, & afflatus diuini, auræq; capaces
Efficiamur. ab affectu Deus est alienus:

Nec patitur motum: cui dum nos sacra, precesq;
Offerimus: contingit uti moueamur in ipsum:
Et posito rerum affectu immutemur. id omnis
Affectus, quodcunq; Deo datur, accipiendum est
Ex persona hominis: qui cum peccando reliquit,
Destituitq; Deum, qui solus causa bonorum est:
Est opus incurrat mala: quo fit, uti uideatur
Iratum sentire Deum: quem si rursum spoliatus
Delictis adeat, placatum sentiat. ut sol
Omnino exposita illustrat quæcunq;: propinquum
Vt mouet Herculeus Chalybē lapis: haurit ut undā
Triticum adhærescens: sic lucem admittit, initq;
Motū homo, et accipit haustū, qui sacris, precibusq;
Expositum se constituit, redditq; propinquum,
Astantemq; Deo. cum participi ratione
Nostra Deum referat substantia: uitaq; nostra
Tota animæ penitus ducatur ab intellectu
Diuino: per sacra, precesq; Deum memorantes
Accipimus sensim, acceptiq; mouemur amore.
Peccandi simulac cedit perfracta uoluntas:
Seq; resistentem non exhibet amplius, ultro
Spiritus insinuat sese diuinus, & infert
Semet sponte sua: quare non accidit, ut nos
Arbitremur agi precibus, sacrisq; moueri,
Placariq; Deum: cuius bonitas minime fert,
Vt se difficilem præstet, cuiquam'ue nocentem
Præbeat: à nobis ueniunt nocumenta, sumus nos,
Qui diuertendo recto de tramite, deq;
Præscripta ratione malum conflamus, & ultro
Contrahimus: qui si mutata conditione,

Vitæ uerterimus nos ad diuina, Deumq́;:
Copia sufficiet nobis se magna bonorum,
Continuoq́; Dei se suggeret aura benigni.

AD FVSCHINVM PRAETOREM.

INterdum reuocare animum Fuschine necesse est
A` grauibus rerum studijs, curisq́; seueris
Præturæ: quoniam assidui, iugesq́; labores
Debilitant animum, franguntq́; in corpore uires.
Si quandoq; animus lætari debuit, hocce
Tempore præcipue debet: quo mitior anni
Temperies uiget, & fœcundi tempus amœnum
Ingruit antumni. non aptior ulla colendi
Ruris tempestas toto se suggerit anno.
Non alio plures eduntur tempore fructus.
Passim agitur fœtura locis, collesq́; redundant
Fructibus, & pleno profertur copia cornu.
Innumeros inter fuctus ex arbore proni
Propendent fici, pendent ex uitibus uuæ
Maturæ uaria specie, uarioq́; colore
Distinctæ. ficis non parua est gratia, nec mox
Parua refert mansisse delectatio ab uuis.
Quin uuæ, ficiq́; ferunt, pariuntq́; potentem
Profectum, utiliterq́; escis adhibentur. alendis
Prosunt corporibus, ducuntq́; salubriter aluum.
Ad maciem possunt multum prodesse fugandam:
Qua cum tu pariter teneare, rogamus, ut ad nos
Huc uenias, quo nobiscum experiare parumper:
An ualeas tibi quid succi pinguis'ue parare

Ex uuis, ficisq;. sacer Martellus amicus
Communis. qui dum penitus siccere ueretur,
Huc ad nos uenit, firmat semisse diebus
Auctum se tribus, & sudasse aliquatenus. instat
Festa dies etiam pago solenniter isti,
Culta sub Euphemi diuino nomine: quare
Si pinguescendi studium non obtinet, ut nos
Conuenias: saltem celebris reuerentia diui
Te moueat, diuiq; impetret causa, quod uuæ,
Quod ficis, quod detrectes concedere amicis.
Aediculæ antistes Thomas, custosq; sacelli
Te saluum iubet, ac optat uehementer, ut adsis
Ad festum, quo se comptum, ornatumq; decenter
Sit præstaturus. cupit adducas Raimundum
Tecum uocalem, qui gurgulione sonoro
Sensa sodalitij surdas obtrudat in aures.

AD LANFRANCVM GYPSIVM.

IVstitia ex scitis ueterum Lanfrance sophorum
Omnino duplici specie distinguitur: est quæ
Ius cōmutandi complectitur, & rationem
Omnem commerti, & contractus continet in se.
Est quæ multiplex præscriptum distribuendi
Tradit, & expendens meritū cuiusque bonis fert
Præmia, fertq; malis pœnas. quamuis alioqui
Quis redigat primam in speciem: tamen, ut se
Ad meriti rationem habeant pœnæ, & redigantur
Ad libram pariter geometræ, non minus aptum est,
Quàm rationi conspirans. ueluti prior ad res
Extendens se quasq;, modum præscribit, & omnes

Respicit æque homines exercita, ita altera spectans
Personas: factumq́; hominis, meritumq́; rependens,
Principis imprimis operam expedienda requirit,
Officiumq́; magistratus petit. hanc nisi princeps
Exacte speciem obseruet, frustra studiosum
Sese iustitiæ profitebitur esse. tueri
Officium nulla proprium princeps ratione
Quit, nisi iustitiæ seruata hac parte ad amussim:
Qua sine nec priuata quies, nec publica pax stat.
Ni princeps rationem habeat, ducatq́; bonorum
Dignam, & uirtuti meritos decernat honores:
Principis haud quaquã officium, munusq́; merentis
Exequitur. contrà rationem principis ille
Multum committit iusti, qui parcere prauis
Sustinet, & noxam, pœnasq́; remittit iniquis.
Qui parcit prauis, ac impunita malorum
Facta sinit princeps, pacem, uitamq́; bonorum
Negligit, & specie mitis se præbet atrocem.
Nam se censetur præstare bonis inimicum
Princeps qui tolerat prauos, parcitq́; scelestis.
Hanc quoq; iustitiæ in partem qui nolit abunde,
Et grauiter peccare, opus est, committere quidquam
Abstineat, cuius causa deposcere pœnas
Debeat ex alijs. ualde committit in huius
Iustitiæ speciem quisquis, quod puniat, ipse
Admittat, patretq́;. sed haud una ratione
Huius iustitiæ uiolatur norma: quibusq;
Cum sine delectu pretio traduntur honores:
Quos si suscipiant digni, fraudantur ea, qua
Deberent mercede frui: sin uerò recusent,

Indignis tradantur opus: & præter eandem
Iustitiæ speciem immeritis tribuantur, oportet:
Qui simulatq; magistratus cepere gerendos;
Dum quæstum affectant, dānumq; subire recusant,
Conniuent ad flagitium quodcunque: nihilq;
Criminis agnoscunt. quin quatenus efficitur res
Venalis, quam conueniat mercede soluta
Deferri, partem grauiter peccatur in illam
Iustitiæ, quæ commutatu constat. abest tam,
Vt princeps, qui uenales exponit honores,
Iure queat iustus dici: ut se præstet iniquum
Summopere, & contrà normam delinquat utrāq;
Iustitiæ. haud quaquam uideo, quid possit habere
Quod iusto dignum uideatur principe: cui sit
Omni iustitia longe pretiosius aurum.
Nec magis agnosco, quid nam prætendere possit,
Quo iustum se credat, & applaudat sibi causa
Iustitiæ: qui dum pretio concedit honores,
Non solum à iusto specie desciscit utraq;
Ipse, sed in causa est etiam, ut quicunq; soluto
Excipiunt pretio, peccent utroq; tenore.
Nil æque ius perstringit, læditq; decorum
Iustitiæ, nil æque legitimam rationem
Viuendi corrumpit, agitq; incommoda passim,
Quam quæ fit pretio adscripto delatio honorum.
Hanc uendendorum pestem qui primus honorum
Induxit, dignum furijs, hereboq; patrauit
Flagitium, nulloq; abolendum farre piaclum
Admisit: quem qui fuerit imitatus, eadem
Labe laborabit, finemq; subibit eundem.

IVN. LVD. PARISETI

AD FRANCISCVM MARTELLVM.

Corporis ornatum quantum Martelle ſacro ſit
Conueniens curare homini: quàm relligioni
Addictum Chriſti deceat cultus ſtudioſum
Corporei ſe ferre: poteſt cognoſcere quiſquis
Perpendat, quàm cura animæ, quæ maxime habẽda
Sacro homini, non admittat curã, ſtudiũq; (eſt
Corporis. ornandum qui corpus ſumit, oportet,
Is cauſa placeat ſibi corporis: & tribuat quid
Gloriæ, & infectum faſtu ſe præſtet. habetur
Corporis, atq, animæ ſic mutuo controuerſa
Conditio, ut, quantum tribuatur corpori, adæque
Tantum animæ dematur. eò coniunctio tendit
Corporis, ac animæ: ut iugem cum corpore pugnã
Exercens anima oblatum palmarij honorem
Quærat, & oppreſſo ducat, referatq; triumphum
Corpore. non animæ ſuccedit gloria, ni per
Corporis opprobrium. ratio non ulla ferendæ
In ſublime animæ, niſi corpore ſuppeditato,
Aut in ſeruitium prorſus, nexumq; redacto:
Cuius qui ſtudium gerit, ornatumq; procurat:
Arguitur rationem animæ non ducere, ſicut
Conueniat: nec quantum par ſit, relligioni
Deferre, & cuius ratione ſit: ut quæratur
Per ſtudium, cultumq; Dei exornatio mentis,
Ornatusq; animæ. haud patera de mercuriali
Hauſit: nec patulo accitus cratere Dei ſe
Merſit: qui cultum affectat, curatq; decorem
Corporis. ulterius quiſquis ſtudet indumentis,

Quàm pro corpore sufficiat utcunq; tegendo:
Est reus affectus, peccatq; in casta magistri
Tarsensis documenta. nihil cum simplicitate
Christi conueniens tenet affectatio cultus.
Vestitu exercent luxum, et cultum profitentur
Corporis: in domibus regum quicunq; superbis
Versantur, dominisq; uolunt seruire profanis.
Qui Christo inseruire cupit, Christoq; placere
Expetit: & studio diuinæ relligionis
Afficitur, tenui contentus ueste minus nil
Cogitat, ornatum quàm corporis. interiorem
Cultum hominis Deus exigit, exteriore relicto
Mundo: cui quicunq; cupit, curatq; placere:
Curam traducit propriæ, studiumq; salutis.
Vnde tibi si quam sentis surrepere curam
Vestibus ornandi corpus: deprendere debes,
Affectus non immunem te uiuere noxi.
Vt libet excusare uales. prætexere, quidquid
Vis, potes. haudquaquam dicendo extorseris à me:
Quin rear affectu te tangi pernitioso:
Qui nisi prospicias, sit longe à relligione
Arcturus, mundoq; tenaciter appliciturus.
Quod ne contingat: debes audire monentem:
Et monitis promptas adhibere fidelibus aures.

AD LVCAM RAIMVNDVM.

Dupliciter Raimūde bonū distinguitur. est, qđ
Continet humani rationem finis: et est, quo
Tenditur ad finem. porro finis Deus est, qui
Perficit, absoluitq; hominem, redditq; beatum.

Quo uerò accedente bono, medio'ue necesse est
Ad finem tendi, duplici id diducitur æque
Ordine: sicut homo gemina compagine constat
Corporis, atque animæ. quodcũq; necesse trahendæ
Est uitæ, respectu corporis arbitrandum est
Esse bonum. at uirtus censenda boni rationem
Causa animæ retinere. studet quicunq; parandis
Vtilibus uitæ, prorsum rem exercet honestam,
Procuratq́; bonum, quod lucri nomine rite
Signetur. qui præterea studiosus, amansq́;
Virtutis procurat eam sibi maxime habendam,
Quærendamq́;: bonum quærit, proprieq́; procurat
Lucrum: quod damno cum sit contrarium, oportet
Esse bonum, quoniam damnum constat manifeste
Esse malum. quare genuino nomine lucri,
Et proprio uenit omne bonum, quo perueniatur
Ad finem medio. non significatio lucri
Latius extendenda, boni quàm conditio se
Ad finem referentis postulet. unde quod ultra
Cancellos hos expetitur, neutique meretur
Nomine censeri lucri. proutin capienda,
Sumendaq́; boni natura decipiuntur
Plurimi: et ad sensum referentes quæq;, bonũ, quod
Sit malum, opinantur: sic accidit accipienda
In lucri ratione hominem falli uehementer:
Dum tribuit lucro, quodcunq; ex arte pararit
Quaq;. quod ad finem nil pertinet, & rationem
Ad finem medij non continet: id numerari
Tam lucro non debet: uti damno mereatur
Adscribi. haud quaquam lucrum, quin utile, nil in
Respectu

Respectu finis censendum est utile. non est
Vtilitas, quæ non fini respondeat, & uim
Proposito de fine sibi non sumat. ut apte
Acceptum lucrum ad finem deducit: inepte
Sic intellectum abducit de fine. quod optas,
Affectasq; lucrum: si lucrum intelligis, ut par:
Laudo quidem: sin uero lucrũ, ut uulgaris abusus,
Accipis: haudquaquam laudo: quin iudico auare
Id fieri: quoniam qui plus exquirit habere,
Quàm sit opus uitæ, ditescere uult aliena
Paupertate: paratq; superuacuum sibi, cuius
Indigeat quisquam. non relligio, neque finis
Humani ratio permittit: uti studeamus
Cuiusquam exhaustu rẽ nostram augere. forensem
Qui præstas operam: causasq; assumis agendas:
Quò tendas, quo proposito gradiaris, oportet,
Aduertas. ne quid præter ueri rationem
Finis agas, ne quid quæstus conflare procures
Vlterius, quàm frugalis uitæ petat usus:
Est acri tibi consilio, curaq; cauendum
Solerti. quo munere fungeris: id mediocre
Non discrimen habet tam delectus ratione
In patrocinijs adhibendi suscipiendis,
Quàm causa quæstus faciendi. sed prout ingens
Hoc de se profert occasio munere noxæ:
Integritas ita maiori se tollit honore,
Et merito. si munus eò conuerteris istud:
Vt passim prosis, & publica commoda præstes:
Id lucri facies: tibi quod satis esse beando:
Ac explere animum, faciemq; adducere possit.

IVNIORIS LVDOVICI PARISETI POSTERIORVM EPISTOLARVM LIBER TERTIVS.

AD GABBIVM POETAM.


VM Gabbi sis scriba fori: puteal'q; frequentes
Rixosum, uulgi'q; notes conuenta: satis uix
Possum admirari, ut faciles in carmina rithmi
Sufficiant: largo'q; fluat facundia uena.
Nil cum barbarie uulgi, rabie'q; forensi
Pacatæ retinere solent commune Camenæ.
Litibus auersum sueuit citharedus Apollo
Se præbere. fori strepitosa negotia toto
A musis cœlo uariare uidentur. ut inter
Tot tricas uulgi ualeas incumbere musis:
Aut latios reperire modos detentus inepta
Barbarie possis: tam prorsus miror: ut æque
Nil aliud mirer. cum te uersare bonorum
Scriptorum nihil affirmes: nullum'q; latinum
Authorem referas te contrectere legendo:
Ob stupeo: quanam fiat ratione: ut abundes
Tantum dicendo: & fundas tot carmina. lectu
Scriptorum assiduo dicendi copia quæri
Consueuit. monstrosa mihi, aut diuina uidetur,
Dicendi quæcunq; tibi fœcunda potestas

S uppetit. ex anima mundi te ſuſpicor hauſta
S cribere. non aliter, quàm phœbadibus tibi uerſus
A utumo proferri. uis hæc ignota, latenſq;
V iſceribus terræ uaſtis prorumpit: & in te
I rruit afflatu replens, reddenſq; poetam.
V t quondam Græci legitur ſpelunca Trophoni
S uggeſſiſſe poteſtatem ſubeuntibus ore
P rodendi miranda: loci ſic iſtius antrum
S criptori perflare animum, & perfundere mentem
A rbitror arcana fandi ratione: tibiq;
I nſpirare modos, numeroſq; in carmina. tantum
E loquij, tantum fœturæ non caret aura
D iuina. non tot fiunt ſine numine uerſus.
I pſe ego, qui iugi ſtudio, curáq; legendi
Q uoſq; libros teneor: tecum contendere tam non
A uderem numeris: ut præ te me rear eſſe
I nfantem. quantum ſuperant quæſita per uſum,
A ut artem: quæcunque parit natura, fluenſq;
N umen agit: tantum planè concedere, par eſt,
N oſtra tuis: tantumq; decet tua carmina noſtris
P ræferri. quidquid numeroſo carmine laudis
A dſcribis, tribuiſq; mihi: tantò potiori
I ure tibi puto deberi: quantò minus in me
A gnoſco quidquam: quod debeat æquiparari
P rofluuio, uenæq; tuæ: qua oſtendis ubiq;
T e promum: ſeu bella canis: regumq; tumultus:
S eu contra prauos mores, uitamq; malorum
I nueheris: ſeu Prætori documenta tuendi
S e ſanum præſcribis. inis feliciter omnem
M ateriam: & copi complecteris omnia uerſu.

Quin mihi tentasti laudes adscribere: dum uis
Instar eorum, qui muscam celebrare, febremq;
Quartanam uoluere: tuæ facundiæ apertos,
Thesauros monstrare. pericli te faciendi
Causa concedo laudes: utrunq; cupis tu,
Inculcare mihi. dum non assentiar, & dum
Non plaudam mihimet: facundo tu potes ore,
Vt libet, immerito falsas adtexere laudes.

AD FRANCISCVM TAVRELLVM.

PRæcipuã rationem hominis Taurelle referri
Ex animo, tam constat: uti dubitare nefas sit.
Hæc etenim, seu forma putetur corporis esse,
Corpore, seu fungi credatur, ut instrumento:
Compositi causa est adeo censenda tenere
Primatum: ut uitæ, atq; actus totius origo
Existat: quæ cum ratione Deum, specieq;
Participi referat: tanto, dum corpore clausa est:
Dignior apparet: quanto se subtrahit à re
Corporea magis: & spatio propiore Deo se
Exhibet: ex sola quod fit uirtute, probæq;
Traductu uitæ. uirtus, probitasq; habitus sunt:
Qui quæsiti animæ degenti in corpore reddunt
Tanto nobiliorem hominem: quanto potiori
Præstiterint ratione. hominis uera, & genuina
Nobilitas respectu animæ est statuenda. sed omne
Ornamentum animæ constat uirtute, probiq;
Quæsita specie. superest, ut constituatur
Nobilitas hominis solum in uirtute, probaq;

V iuendi ratione facit uirtus celebrari
D ignum hominem. uitæ probitas adducit honorem
V erum homini. duntaxat homo uirtutis adeptu
D ebet honorari. ſola ex uirtute paratur
N obilitas hominis. fruſtra quis nobilitatem
V endicat, adſcribitq́; ſibi: dum ſtemmata cenſet
M aiorum: memoratq́; genus de Regibus actum.
N on antiqua patrum ſeries, non ſanguinis ordo
P er magnos repetitus auos quem reddere clarum
I lluſtremq́; poteſt: ſed uirtus ſola, probæq́;
C onditio uitæ. qui nobilitate ſuperbit
E x genere adſcita, proauisq́; potentibus: is tam
D eſipit: ut uento penitus ſe palpet inani:
E t nihil ex ſana pendat ratione. nepotes
H aud quæquam uirtus quantũuis ſpendida auorũ
N obilitat. non poſteritas adſciſcere quidquam
P ræclari ſibi iure poteſt ex laude ſuorum
M aiorum: quos non fuerit uirtute imitata.
M aiorum non diuitiæ, aut translata poteſtas
D icendi iuris claros potuere nepotes
R eddere, ſed probitas expreſſa, relataq́; uirtus.
T u licet inſignem referas de ſanguine, deq́;
G ente notam: & generis prætendere plurima poſſis
S temmata: perpendens tamen in uirtute, bonisq́;
S olum animi ueram conſiſtere nobilitatem:
V t cœpiſti, operam debes nauare frequentem
V irtuti, & pleno ſtudijs incumbere honeſtis
C onatu: & tota probitati inſiſtere cura
I nducendæ animo. quæ uulgo ex ſanguine, necnon
E x opibus tibi nobilitas cenſetur adeſſe:

Si cumularis eam parta uirtute, probisq;
Moribus adscitis: tam summam nobilitatis
Attinges: quàm Marte tuo, meritoq; tuopte
Claresces. non nostra reor, quæcunq; redundant
In nos externa ratione. tenaciter hærent
Illa minus, quæ succedunt extrinsecus, & quæ
Proueniunt aliunde. feres punctum tibi quodq;:
Si decori generis curaueris adiungendam
Virtutem, & clarius natalibus adijciendum
Ornatum probitatis. habes campum, spaciumq;
Propositum: quo mirifice te tollere possis:
Et te præcipue celebrem, clarumq; per orbem
Reddere. ni qua cœpisti, contendere desis:
Et ni destituas cliuum: quo ferre pedem iam
Adgressus: spero planè, & confido futurum,
Vt tandem euadas talis, qui suspiciaris
Omnibus, & passim miro celebreris honore.
Præstanti, qua præditus indole ferris, ea fit:
Optima uti de te speremus quæq;: nihilq;
Omnino diffidamus succedere posse:
Quod uel respiciat solidæ uirtutis adeptum:
Vel celebres aliquo pacto prospectet honores.
Ergo tuum fuerit studio perstare parandæ
Virtutis; spretaq; uoluptatum uia honesti
Prosequi iter: quod te facere expetimus uehemẽter
Pro nostra charitate animi, qua tangimur in te,
Egregia: qua fit pariter: ne gratius esse
Quid nobis queat, aut contingere lætius, ansam
Quàm tradi tibi gratificandi, siue placendi.

AD ALVISIVM TAQVELVM.

A Primis amor inter nos conflatus epheb's
Aluisi, & longo firmatus tempore: ludum
Dum petimus, præceptoremq; subimus eundem:
Efficit: ut memori seruem te mente, tametsi
Absentem, & longa disiunctum ambage locorum.
Aulas sacrorum procerum sectatus abesse
Passus es à patria tanto te tempore: ut heros
Non Ithacus pluri abfuerit. fieri tamen unquam
Haud potuit spacio tam longo absentiæ, amorem
Quin conseruarem, custodiremq; perennem
Affectum, quicunq; semel mihi iam foret in te
Contractus. tua simplicitas, animiq; modesta
Integritas sic acceptum fecere mihi te:
Inter præcipuos ut censereris amicos.
Officio sic demeritus, studioq; fuisti
Me semper: sic obsequio me semper amanti
Es prosectatus: fieri ut non possit agresti
Absque nota: nisi complectar te pectore toto:
Et toto desiderio te prosequar. unde
Opto tuū in patriam reditum uehementer, & opto,
Imponas quandoq; auidæ retinacula menti.
Tu partem uitæ potiorem, annosq; uirentes
Seruitijs patrum impendisti sacrificorum:
Et tantum adnixus studio es, curaq; operatus:
Vt sacrum tibi cum reditu non debili honorem
Quæsieris. postquā tantum es tibi honoris adeptus:
Et tantum census quæsisti: ut uiuere possis

Non modo honorate, sed laute: quid petis ultra?
Quid sectaris adhuc? nunquam ne habitura cupido
Est finem? nunquam ne sitis tibi compescenda
Quærendi? semper ne animum, pectus'ue tenebit
Obsessum ambitio? semper ne inhiabis honores
Ad sacros? iam conuenit: ut metam cupienti
Præscribas animo, desyderiumq́; refrenes.
Iam tempus petit: & ratio iubet: ut referas te
Denique: seruitijsq́; modum statuas ineundis
Causa hominum. seruire Deo iam te decet: & rem
Procurare animæ, curamq́; salutis inire.
Quapropter cupio in patria te degere, teq́;
Viuere nobiscum, studijsq́; incumbere sacris,
Et quandoque tui rationem agnoscere finis.
Non aliter tibi prospicies, animæ'ue cauebis:
Implebisq́;, tuo quodcunque ex munere debes.

AD LVDOVICVM BECADELLVM.

Vt te pastorum numero Becadelle sacrorum
Adscriptum noui, tam sum lætatus, amici
Quàm decuit pro constanti charitate: diu quæ
Sis complexus. amor, cum primum cognitus, in te
Sic contractus: ut absentem te pectore semper
Seruarim, memoriq́; affectu cordis amarim.
Postquam Martello te procurante Tridenti
Noui, cum legatorum, procerumq́; sacri esses
Concilij à secretis: de te sensi ita: ut aptum
Tam te crediderim sacro, atque accõmodum honori,
Quàm certam, stabilemq́; fidem seruarim, aliquãdo

Venturum tempus: quo mysticus efficereris
Antistes, fieresq́; sacer cuiuspiam ouilis
Pastor. ut optabam, & rebar, res euenit. ut re
Confirmata fides præsago non mediocrem
Plausum animo producit: sic processio uoti
Explet lætitia mentem, dum cogito campum
Oblatum tibi quo possis ratione Dei tam
Quàm respectu hominum bene te præstare meretē.
Hoc tibi delato de munere sicut oriri
Multum quid noxæ: si quid peccaueris, & si
Quid contra rationem eius commiseris: ingens
Ansa ita se præbet meriti, laudisq́; parandæ:
Si te præstiteris, cuiusmodi oportet: eumq́;
Temet præbueris: quem functio recta requirit
Muneris: in cuius functu cum plurima sint, quæ
Expediant: minimeq́; queant sine crimine omitti:
Est opus, aduertas animum, curamq́; uigentem
Impendas, nequid prætermittatur eorum.
Quænam conueniant, quænam præstare necesse
Legitime pro fungendo sit munere, quamuis
Terear ob disciplinæ, et prudentiæ abundans
Momentum nouisse satis, perspectaq́; habere:
Non tamen eximius, quo dudum concitor in te,
Affectus patitur: quin ad te scribere coner
Quid moniti, tentemq́; breui perstringere fasce
Nonnulla: officio quæ sint conformia sacri
Præsulis à quoquam non prætereunda: regendi
Cui sit cura gregis commissa. tibi retinendum
Id fixum est animo, rationem constituendi
Sacri pastoris totam illuc uergere, eoq́;

Spectare: ut gregis utilitati prospiciatur:
Et quantum fieri potuit, caueatur eorum
Indemni uitæ: quos causa muneris esse
Subiectos contingat. eum solummodo finem
Præscriptum tenet officium pastoris: uti grex
Seruetur: sospesq; Deo statuatur. oportet
Ergo pastorem: cui credita cura tuendi
Sit gregis: exacte perpendere: quid faciendum
Sit sibi: quo finis rationem attingat: & id, quod
Præscriptum pro fine tenet, comprendat. agat sic
In primis opus est: ut se proponat honestæ
Exemplar uitæ: & se præbeat incorruptis
Moribus effingendum. mirum, quàm monitus, uel
Verba parum prosint, si uita monentis abinde
Dissideat: uerbisq; minus sint congrua facta.
Idcirco dici censendus Episcopus: ut se
Præbeat ex alto speculantem facta aliorum:
Et se de specula sublimem proferat: in quem
Respiciant: & quem sibi suscipiant imitandum
Cæteri. adornatum sic moribus expedit esse
Pastorem, & clarum specie uirtutis in omni:
Vt grex, seu populus habeat, quod discat amussim
Propositum: & uitæ pro conditione dirempta
Quiq; habeant, quod uiuendi in ratione imitentur.
Ad quamcunque uocat uirtutem pastor adhortans:
Compellansq; gregem: facilem monstrare paratu
Debet eam exemplo proprio, factoq; suopte.
Nec solum uitæ exemplo, morumq; tenore
Spectato debet pastor prodesse: sed acri
Cura etiam, & studio uigili spectare, quid ad rem

Pertineat gregis. atque gregi conducat agendo
Ad sanum. monitus adhibere, operamq́; iuuantem
Suggerere, & toto conatu incumbere debet:
Ne dimittatur, quod respiciat gregis usum:
Seruandiq́; gregis rationem spectet. omissum
Linquere nil debet pastor, quo possit abunde
Proficere, & prodesse gregi seu causa animæ, seu
Corporis indigeat. qui legitimus cupit esse
Pastor, & officium ueri pastoris obire
Expetit: exemplo Christi sic uiuat, oportet:
Vt quæcunq; gregi possint conferre, procuret
Vnice: & exacta cura, studioq́; laboret:
Nequid præcipue ratione animæ patiatur
Grex damni: pro quo seruando, siue tuendo
Tam nihil est curæ pastori prætereundum,
Tam nil uitandum discriminis, atque laboris:
Vt uel fundendus sanguis, perdendaq́; uita:
Si sit opus. cum cura gregis commissa tibi sit:
Et sis delectus pastor: perpendere multum
Debes, quid ratio fungendi muneris huius
Exigat: & quantum studij, curæq́; reposcat.
Archetypum debes Christum proponere: cuius
Instar te formes: qualem se præstitit in nos
Christus amando, monendo, uiamq́; salutis
Ostendendo: gregem in commendatum tibi debes
Te talem præbere. bonus si pastor haberi
Affectas, nouisse gregem te prorsus oportet:
Vt possis apte succurrere pro ratione
Agnitæ egestatis. sic custodire necesse est:
Vt gregis à cura, studioq́; remittere nunquam

Sustineas animum:nunquamq; operam reuocare
Permittas alio.te totum postulat istud
Munus & assiduum, solersq; efflagitat à te
Subsidium, simulac diuino munere ad istam
Es Spartam promotus: habes non amplius,in quod
Incumbas ultra: curamq; impendere perstes.
Si quò respicias alio,quàm quò petit, atque
Contendit ratio commissi muneris huius:
Tam grauiter peccas,ut sons statuare, reusq;
Tum ratione Dei, quem fallas mirifice, tum
Causa hominum tibi commissorum: quos ope spõsa
Defraudes.quare prætendi nil tibi debet:
Quo minus expedias munus, quodcunq; benigni
Detulit aura Dei. ne te potiora parandi
Anxietas diuertat ab officio subeundo
Pastoris: tam tu debes uitare: salus quàm
Cara tibi est animæ:et quàm accepta est gratia Chri
Quæ rerũ pretijs adeo anteferẽda quibusq; est: (sti:
Vt sit sola hominem quæ possit reddere ditem,
Contentumq; animo,atque æterna pace beatum.

AD BOCACYNVM PAVLIENSIVM PRAESVLEM.

Non studium,quo detineor Bocacyne iuuãdi
Quosq;,nec affectus,quo tangor proficiẽdi
Præcipua ratione tibi, patiuntur, ut in quo
Agnoscam respectu animæ, causaq; salutis
Te peccare aliquid: sileam, tacitusq; relinquam
Præteritum. quæcunq; mihi scribuntur, eo sunt
Accipienda animo: quo conuenit ob charitatem,

Affectumq́; pium: quo sint comitata. ferendum
Tam nihil est ægre, tibi quod scribatur, ut hocce
Scribendi officio testatum maxime amorem
Nostrum in te cupiã. nisi te uehementer amarem:
Et te prosequerer summa charitate: monendum
Non hac susciperem te libertate, nec acri
Cura adeo tibi consultum, cautumq́; loquendo,
Scribendoq́; procurarem. sic nostra uoluntas
Est studiosa tui: sic mens propensa, fauensq́;
De te cogitat, ut summe desideret esse
Te saluum, & uita inculpatum uiuere, quod quo
Succedat: tam posco Deum, quàm me monitorem
Præsto tibi. ergo boni tu consule, quidquid honestĩ
Nunc mihi sincera, & studiosa mente subitur
Officij. cum tu duplicis sis præsul honoris:
Et tam clarescas urbano munere, quàm sis
Rurali insignis: debes perpendere, utrum tu
Sufficias utrique oneri, præstareq́; possis:
Quod gemini ratio exposcat sibi muneris: in qua
Excutienda opus est, multum te ponere mentis:
Quandoquidem sunt multa: quibus non unius esse
Cura satis uideatur. habent si munera sic se:
Functio ut unius non admittat rationem
Alterius fungendi: utrunque minus retinere
Tu potes. aduersus finem quod muneris urget
Inducti: neutique hominis prætenta facultas
Exoluit. non cerno, locis superesse duobus
Vt possis: dupliciq́; oneri par esse ferendo.
Vrbano si munere districtus retineris:
Vt rurali hominum plebi succurrere possis:

Et præstare operam, quam debes, nescio. sanè
Non ignoro operæ tantum, studijq́; tuendæ
A' te deberi plebi: ut contendere, quantum
Tu possis, sit opus: si uis præstare, quod ad rem
Pertinet: officioq́; tuo conducit. agrestis
Et montana hominũ plebs quãtò est magis horrẽs
Moribus, & cultus diuini ignara: necesse est
Tantò maiori studio te incumbere: nequid
Prætereas: quod possit ei conferre docendæ,
Sanandæq́; mala morum contage. labore
Hoc profungendo mercedem cum satis amplam
Percipias: omni delinquis iure: reusq́;
Efficeris, si defficias, desisq́;. teneris
Sic præstare operam, officiumq́; impendere, ut ullo
Prætentu nequeas temet defendere. quantum
Dispendi incurret, quantumq́; incommodi inibit
Causa animæ plebs ista tibi commissa tibimet
Adscribetur: & enormi indelibile noxa
Impingetur. ut ad rectum sanctumq́; tribunal
Iudicis adstiteris: miseri sua damna, suumq́;
Exitium obijcient: exprobrabuntq́; receptam
Mercedem officij non præstiti. erit manifestum
Dedecus: & cœlum testabitur omne reum te,
Infamemq́; nota: quod ne contingat, oportet,
Exactam plebis subeas curam instituendæ
In cultu Dei: & assiduum, iugemq́; ministrum
Te rerum præstes, animæ quæcunq; salubres
Esse queant: quas perfecte cognoscere planè
Non poteris: nisi te sacris addicere libris
Cures, & positis affectibus ambitionis

Appellas animũ ad monumenta legenda piorum
Authorum. non turpe minus, quàm pernitiosum
Est nescire tui rationem muneris: & rem,
In qua uerseris prorsum ignorare. sacer cum
Sis homo, & ad curam, custoditumq́; animarum
Pertineas: nihil æque conuenit, atque sacrorum
Lectio librorum; qua non minus instituaris:
Quàm discas, quonam pacto sint instituendi,
Qui tibi commissi. dum quæ sunt corporis, ambis,
Affectasq́; nimis: uehemens te incuria eorum
Corripit, ad rationem animi quæcunque uidentur
Spectare. ædificas ample, succurris egenis
Parce. uestiris munde, sordescis habendi
Ingluuie. prouentibus inuigilas fundorum:
Nil minus adcuras, quàm prouentus animarum.
Solue igitur curis animum fallacibus: & te
Exerce pietate: tuiq́; expende tenorem
Muneris, et totis adnitere uiribus: ut quod
Debes, exoluas: ne cum reddenda tibi sit
Extremo ratio, longè plus comperiatur
Acceptum, quàm redditum. agetur iudicium de
Quocunque: ad libramq́; trahentur cuncta: nihilq́;
Quod non examen subeat, linquetur omissum.

AD BEATRICEM.

EXpetis, ut moneam te, reprendamq́; Beatrix:
Quatenus asperius correctricem uitiorum
Te præstas: quàm ferre licentia publica possit
Peccandi. tua non tolerat traductio uitæ

Sincera, & prudens, ut reprendare, aliquo'ue
Indigeas monitore. Dei cui gratia iugis
Aspirat: cui diuinæ se spiritus auræ
Insinuat: quæcunque facit, loquiturq;: probanda
Tam sunt: ut nulli censuræ hominis mereantur
Subdi. diuino quisquam præscribere frustra
Spiritui legem tentauerit. omnia recte
Procedunt, quæcunque Dei sunt spiritum adepta
Authorem. cum sit tantum tibi relligionis:
Et cum tanta tibi coniunctio cum Deo: ut arram
Cœlestis uitæ iam ceperis: author habetur
Spiritus, et suasor prorsum diuinus eorum:
Quæ facis, aut loqueris. non accidit, ut reprehendi
Exposcas in te: quod sufficiente Dei fit
Spiritu. ut asperius uitia incuses: animoq;
Ardenti damnes hominum peccata: notesq;:
Efficit id studium, quo ferues, relligionis,
Et charitas, cultusq; Dei, quo maxime abundas.
Nam cum diuino uitium aduersetur honori:
Peccatumq; Deo existat contrarium: amoris
Pro summi ratione: Deum, quo prosequeris, non
Mirum: si contra uitium excandescis, & acri
Inueheris stimulo. quo tangeris in Deum amore,
Erga hominem prorsum afficiaris oportet eodem.
Vnde fit, ut quanto reprendas acrius, atque
Asperius, tanto maioris significatum
Affectus in eos prodas: quos accidat esse
Reprensos. correctio progreditur studioso
Omnis ab affectu. quanto uehementius urget
Affectus: tanto correctio feruidiori

Se profert ſtudio. quare tam prorſus abeſt: ut
Quid pecces, noxas dum corripis, atque reprendis
Acrius: ut tantò magis oſtendas Dei amantem,
Et ſtudioſum hominum temet: quantò potiori
Corripias opera. quod ſi non ſpiritus eſſet
Is tibi diuinus, cuius ratione queat nil
Errari; poſſem quædam præſcribere: quæ ſint
In reprendendi ſeruatu digna tenore.
Nam demonſtrarem: quantum ratione pudentem,
Et lapſum miti deceat reprehendere: quámq;
Arguere audacem expediat uehementer, & acri
Verborum iniectu: quando ſit compatiendum,
Et quibus iraſcendum. quæ ſeruanda profanis
In reprendendis ſit regula, quǽue ſacris ſit
Norma uiris apte conducẽs corripiendis,
Proferrem pro peccantum uaria ratione:
Et pro noxarum uario diſcrimine leges
Multiplices, uarioſq; modos adferre monendi,
Atque reprendendi poſſem. poſſem rationem
Temporis obſeruandi etiam diſtinguere: quo ſit
Suſcipienda reprendendi prouincia. uerum
Non opus hæc duco tecum tractare: refertum
Quæ diuino habeas animum ſufflamine, cuius
Auſpicio nil non recte moliris, agiſq;.
Ne tibi ſit curæ interea, quid ſecta malorum
Sentiat: & quemnam de te ferat impia ſenſum:
Dummodo contendas, qua te cit ſpiritus: & qua
Suadet amor, cultuſq; Dei, ratioq; iuuandi
Tendere. ab officio ne te detereat ulla
Incurrendi odij ſuſpicio, ſiue pericli.

Tuta fauente Deo sunt omnia. nulla facultas
Est humana: Deo possit quæ obstare uolenti.

AD IVLIVM III. PONTIFICEM MAXIMVM.

Haudquaquã sũme Antistes expromere possim
Quàm sim lætatus, quàm sim gauisus: adeptum
Cum te intellexi diuos Pastoris honores.
Nam cum mirifico affectu te prosequar, & te
Præcipua obseruem ratione: nihil potuisset
Lætius accidere, aut maiori gaudio abundans:
Quàm te iuris eò sublatum, & muneris: ut sis
Inter mortales Deus: & diuina ministres
In terris: summumq; gradum moderaminis in re
Diuina teneas. quæ simplicitas tibi morum:
Et quæ libertas animi est speciosa, mihi sic
Impense placuere: ut si nil præterea esset
In te: quo quires nobis possesq; placere:
Dignus ea ratione fores, quem plurimum amarem:
Atque admirarer. sed cum uirtutibus ample
Pluribus excellas: & rerum cognitione
Multiplici præstes: fit, ne solum uehementer
Te colã, et obseruem: sed dignum ex omnibus esse
Præcipue rear: in terris qui detineas ius
Supremum. confido tua pro conditione
Virtutum illustri nil non feliciter esse
Casurum; nil non successurum utilitate
Cum summa humani generis. præstantia, quã tot
Testatam uarijs passim rationibus ultro

F ecisti, suadet, nequid credamus omissum
I ri à te, quod conueniens, atque utile possit
E sse rei sacræ: aut ualeat conducere honori
R elligionis. agit, quæ de uirtute tua spes
S umitur ingenua, ut fucum, & pigmenta putemus
D ecessura sacris rebus: propriumq; decorem
Q uæque receptura, & specie fulsura decenti.
Q uæ fallax hucusque diu simulatio cuncta
T exerat, & ficto uultu temerarat, abibit
E medio: punctoq; acri damnata recedet.
N on affectus eò procedet sanguinis: ut uim
L egibus iniiciat: diuinaq; iura profanet:
A tque offendiculum pariat portenta propagans,
M onstraq; producens. non ambitiosa libido
T am poterit posthac: ut misceat omnia, & in fas,
A tque pium quodcunque malum producat. abusus
H audquaquam admittet prætenta potẽtia: nec quæ
A d fructum, uitamq; hominis concessa facultas,
C edet ad interitum praue usurpata: feretq;
P ernitiem. tantum peruersa licentia quiuit
H actenus: ut nulla iusti ratione, piiq;
S ubducta, quæcunque cupido insana, malusq;
E rror suggereret, fierent: nulloq; pudore
P atrarentur. eò prætexi audacia iuris
P erduxit miseros: ut quod brutale ferumq;
E sset, & humana desisceret à ratione:
S e facere indulctu diuino, authoreq; Christo
C enserent. tantum erroris uitiata uoluntas
T raxerat: ut quodcunque Deo, Christoq; repugnãs
M axime, & aduersum foret: id se posse putarent

I ure Dei, Christiq; potestate. impia cæcos
S ic uexabat auarities: ut cuncta soluto
V enirent pretio, & nil non uenale subesset.
C um tu diuino delectus numine pastor
S is gregis humani: & sacræ moderamen adeptus
S is caulæ Christum referens, iam pertinet ad te
Quidquid ab exacta Christi ratione recedit:
C orrigere: & studio, curaq; cauere sagaci:
N equid pestiferum, uel perniciale sinatur
S erpere: & humani generis cum clade subire.
Quæ tibi delata est prouincia, sicut habetur
I ure potens: sic multum oneris censenda referre.
I n te relligio Christi obseruanda recumbit:
A d te defertur rerum tutela sacrarum.
I n te consistit morum censura: tuiq; est
M uneris humani generis curare salutem.
I us summum prout omnino tibi competit inter
M ortales: ita præcipuam te ducere oportet
C unctorum curam: & nil prætermittere, quod sit
V tile conducensq; homini in ratione salutis
Quærendæ. cum tu communis sis pater, & rex
Quorumcunque, Deiq; potestatem referas in
T erris, te studium decet exercere paternum
I n primis: operaq; omni perstare: Deum quo
P roficiendo repræsentes, meritisq; imiteris
I n genus humanum collatis. non magis ulla
P ene Deum ratione potes, patremq; referre,
Quàm cura, studioq; iuuandi quosque. nihil te
A d ius diuinum propius promouerit: & nil
T e melius reddet diuino munere dignum:

Quàm bene ſentire, & bene de quocunq; mereri.
Eſt ratio tamen in cunctis adhibenda: moduſq;
Seruandus, ne, dum fugitur defectus, iniri
Exceſſum contingat: & immodici ratione
Peccatur: meritiq; tenor reddatur inanis.
Prouentus ſacri tibi ſunt ita diſtribuendi:
Ut non eſſe tuos, ſed Chriſti, inopumq; rearis.
Procuranda tibi quæ ſunt commiſſa, uolūtas
Exquirenda eius, tibi qui commiſit, in illis
Tractandis. nihil ut proprij ſit iuris, habendum eſt.
Non qui ſit meritus de te bene, ſed pietate
Qui præſtet, cultuq; Dei ferueſcat: honore
Hunc debes efferre, tuoq; augere fauore.
Si te ad ſupremum munus Deus extulit iſtud:
Et te conſtituit, cui curam traderet, & ius
Seruandi gregis: interea tam deeſſe tibi non
Conuenit: ut ſit opus toto contendere nixu,
Ingrate nequid, nequid peccetur inique:
Aut fuit contra rationem muneris: unde
Non minus offendatur, qui commiſerit: atque
Lædantur, qui ſint commiſſi. cautio multa,
Eſt opus, intercedat: agantur ut omnia ſano
Propoſito: & generis ſemper redigantur ad uſum
Humani, ad cultūq; Dei tendant, & honorem.
In primis quærendus honor Dei. habenda quibuſq;
In rebus ratio diuinæ gloriæ. agendum
Sic eſt: ut Deus exiſtat ſemper ſcopus: in quem
Actio uertatur. Deus omnibus in ſtatuendis
Ac decernendis proponi debet. ut eius
Dictamen fuerit, uel ſuaſio: ſic penitus res

Expedienda. nihil, quod dignum munere summi
Pontificis sit, perficies: nisi mente repostum,
Adfixumq; Deum curaris habere: imitatu
Cuius, & exemplo quoscunque actus modereris,
Est opus. haud recte diuino munere quisquam
Fungetur: nisi consilijs utatur agendo
Diuinis: rebusq; Deum adsciscat peragendis
Omnibus authorem. postquam iura obtinuisti
In terris diuina: Deiq; es munus adeptus
Inter mortales: operæpretium esse uidetur:
Vt quantum fieri possit, te moribus, atque
Viuendi ratione Deo componere cures.
Affecti quodcunque hominis, ueterisq; fuit, sic
Amandare decet, penitusq; extrudere: ut in te
Relligio solum, & uirtutis cura supersit.
Officij multum, multum pietatis obiri
Debet: & innocui ratio est ineunda. hominũ ad te
Cunctorum cum pertineat censura: supraq;
Omnes immineas iudex, censorq;; necesse est
Talem te præstes uiuendo, ut nil tibi fiat:
Quod factum à quoquam possis damnare. tenaci
Proposito, ardentiq; animo diuina tueri
Tam debes: ut nulla tibi iactura sit unquam
Vitanda, & nullum discrimen sit fugiendum.
Pro Christo, pro relligione, gregisq; salute
Humani debes animam profundere, uitam
Perdere, si sit opus. nil tam carum tibi debet
Esse: quod abstineas impendere pro ratione
Muneris: atque Dei cultu, & pietate tuenda.
Vt tibi Diue pater, quàm possum maxime, honorem

Gratulor: & tanti delatu muneris in te
Gaudeo mirifice: sic te uehementer adhortor,
Ne quo deficias, ne qua ratione remittas
Officium. quam spem de te contraximus: & de
Præstanti uirtute tua concepimus omnes:
Sic à te impleri cupio: ut nihil, ad rationem
Perfecti quod pertineat pastoris, omittas.
Interea tibi me commendo plurimum: & oro:
Vt pro iure Dei, quod competit in peccatis
Delictisq; remitendis, me soluere pœna
Digneris: ueniamq; meis concedere noxis.

AD FRANCISCVM MARTELLVM.

NON ea amicitiæ ratio Martelle: uicissim
Qua sumus ex multo cõiuncti tẽpore: per-
Vt cum tu causa fungendi muneris hinc sis (fert:
Decessurus: abire sinam te prorsus inanem
Suggestus, monitiue pio de corde fluentis.
Nam cum te supra, quàm dici possit, amarim
Semper, & immenso sim te complexus amoris
Affectu: non possum aliqua ratione teneri:
Quin moneam, scribáq; aliquid: conducere posse
Quod rear: & conferre animæ, uehementer opiner.
Cum tu sis lectus: qui dicas inclyta in urbe
Ius sacrum, subeasq; sacri putealis honorem:
Id tibi propositum debes retinere, animoq;
Assidue adfixum: ut quæcunque Deo, & charitati
Humanæ quadrant, præstes omni modo: & omnĩ
Expedias studio. lucri ratione moueri

T am nulla debes : ut quidquid proficienter
F eceris erga homines : instar tibi debeat esse
I ngentis lucri . tam nil est ambitiose ,
A ut cupide faciendum : ut cuncta palàm redigẽda
A d cultum Dei, & obseruatum numinis . illo
D untaxat spectare decet : quo proficiendi
P ublica conducit ratio, & diuina uocat res .
I n primis rationem animæ, te ducere oportet.
C uius seruandæ tenor ille potissimus est, quo
P roficitur homini. nimium deforme, Deoq́;
A duersum est captare lucrum, & mercedi inhiare:
O fficium quotiens hominis præstatur in usum .
M ercedem quicunque petit, pretiumq́; iuuandi
I n ratione hominis : neutiq; Dei studiosus
I s fuerit . neutiq;, homini quod congruat ipsi,
P ræstiterit. prodesse homini quicunque recusat
G ratis : non hominis nomen, speciemq́; meretur :
P rorsus inhumanum cum semet præbeat . alta
N on conscenduntur cuiquam, aut diuina paratur
G ratia : qui studio non detineatur, & æstu
P roficiendi homini. charitas est sola, Deo quæ
C onciliat, gratosq́; Deo nos reddit . ut istud
S uscipias munus, si te quid commouet ultra ,
Q uàm charitas sincera Dei : studiumq́; iuuandi
S eruandiq́; hominis : cadis à ratione salutis:
E t tibi conducit potius traducere uitam
H ic cum pace animi, studijsq́; salubribus oti.
I nterea nostri memorem seruare memento
T emet, ut affectum , quem consuetudo, studiq́;
C ommunis ratio tam longo temporis orbe

Conflauit: non deterat aëris interuallum:
Aut acies, cumulusq́; negoti extrudat agendi.

AD LVDOVICVM BECADELLVM.

Si mihi iudicium, aut sensus Becadelle foret qui
Est plerisq; alijs: tibi nunc gratarer ob istud
Indeptum munus. nam cum uehementer amem te,
Et non uulgari tibi sim coniunctus amore:
Posset conueniens multum, multumq́; uideri
Esse decens: ut muneris istius ratione,
Quod sit honoratum uulgo, multæq́; putatum
Frugis, gauderem ualde: & gratarer abunde.
Metiri si forte boni accideret rationem
Ex sensu uulgi: & quod corpus respicit, & res
Quasque extra positas, contingeret adnumerari,
Adscribiq́; bono: planè non absque pudore
Officij possem nunc prætermittere nostri:
Quin tecum causa suscepti muneris ultro
Lætarer. sed cum longe, lateq́; recedam
À uulgo, & penitus dissentiam in expendenda,
Censendáq́; boni ratione: minus reor esse
Conueniens: ut, quod non arbitrer, neque ducam
Esse bonum: causa quæsiti gratuler eius.
Tam non diuitias, tam non consentio honores
Posse boni rationem aliquam retinere: ut opinor
Plurimum eis diuerti hominem de tramite recto,
Deq́; boni cliuo. species cum sit Deus omnis,
Exemplarq́; boni: fit uti quid non queat esse,
Censeriq́; bonum: quod non habeat rationem

Participem exemplaris, & in se non teneat uim
Consimilem exemplari aliquam. quo consit: ut in re
Corporea neutique boni contingere possit
Conditio, sed tota animo consistat in ipso:
Qui quantò propius statuit uirtute Deo se:
Tantò maiorem retinere boni rationem est
Censendus. cum nil penitus queat esse bonum, quin
Perpetuum: nihil in rebus, quæ deficientes
Interitum subeant, reperiri quit, quod haberi,
Censeriq; bonum mereatur. sola perennem
Quæ uirtus animum comitatur, init rationem,
Naturamq; boni. nam qua uirtute imitari
Atque referre Deum quimus, duntaxat ea nos
Quærimus, assequimurq; bonum. qua fit ratione:
Vt nisi te talem præstes uirtute, Deiq;
Obsequio: ut non excellas minus integritate
Viuendi, quàm proficiendi cuique traharis
Proposito: nulla ducam ratione tibimet
Gratandum, & nullo pacto tum propter honores
Indeptos, tum propter opes cumulatius auctas
Lætandum rear. hæc cum sint externa: minusq;
Firma: boni sic nil referunt: ut maxima ab ipsis
Causa mali prorumpat. habent adeo nihil, unde
Proficiant: ut non tam animæ, quàm corpori obesse
Comperiantur. ut his partis tibi gaudeam, & ultro
Grater: amicitiæ nostræ non exigit usus
Aut ratio: quoniam non diligo, quod sit honoris,
Aut fastus in te, sed quod uirtutis: adeptum
Si quid uirtutis te nouero: si pietatis
In studio te proficere intellexero: abunde

Gaudebo: multumq́; tibi gratabor: agamq́;
Hac ratione Deo grates: cui quidquid habetur
Vtile, siue bonum, acceptũ penitus referendum est.
Cura igitur, quantum potes, ambitionis ab œstro
Indemnem te custodire: ab auaritiæq́;
Gurgite seruare incolumem. prodesse procura,
Et recte senti. gratum quodcunque Deo sit,
Exequere: & nulla humani captatio amoris
Efficiat, quin quod rectum, iustumq́; uidebis,
Obserues, statuasq́;. oculis præ semper habeto
Iustitiam, atque Deum. nil te diuertat ab æquo.
Nulla pij immemorem reddat te cura. memento
Finis, & urgentem uitæ reminiscere metam.

AD FRANCISCVM MARTELLVM.

Qvod desiderium uehemens Martelle tui me
Angebat, multum leniuit epistola: qua te
Deprendi nõ solũ animo lætãter habentẽ,
Sed membrorum etiam sana cõpage ualentẽ.
Quæ tecum iucunda fuit mihi consuetudo:
Est literis propè repræsentata. haud mediocri ex
Parte relata fuit mihi delectatio: quam de
Colloquio, dulciq́; tuo sermone solebam
Excipere. ut firma est adeo coniunctio amoris
Inter nos: ut nulla loci distantia, nullus
Temporis excursus possint dissoluere: sic, quæ
À te sunt nobis perscripta absente, cierunt
Affectum, mentemq́; adeo strinxere: minorem
Vt non lætitiam attulerint, quàm reddiderint me

Longe, quàm fuerim prius obstrictum magis in te
Propensumq; animo. facit insignis mei amoris
Erga te ratio, ut quanto distantius à me
Degis, formidem tanto uehementius: in quid
Neducare: quod interea satis ad rationem
Non faciat seruandæ animæ: aut Christi documẽtis
Non quadret. me sollicitum, plenumq; timoris
Efficit affectus, quo te complector, aberres
Ne recta, solitaq; excedas integritate.
Haud quaquam ignoro, quantum discriminis illis
Immineat: subeunt qui publica munera, quiq;
Fungendis uulgo exercentur honoribus. haud sum
Nescius, in sacros homines quàm polleat, & quàm
Sæuiat ambitio: & quantum dominetur eisdem
Turpis auarities. gemina hac tibi peste cauendũ est
Præcipue: si cara salus, si gratia Christi
Expetitur. nihil his hominem damnosius arcet
Pestibus à uera pietate, Deoq; colendo.
Dum dignũ hæ prætendunt, causanturq; necessum:
Inuadunt paulatim animos: furtimq; penetrant:
Donec eos prorsum arripiant: totosq; tenaci
Affigant morsu. postquam semel hæ subiere
Mentibus humanis: nullum ulterius pietati,
Virtutiq; locum permittunt esse: modum sic
Omnino nullum norunt seruare: paratis
Vt crescunt: tantoq; magis uexent, agitentq;:
Quanto contingit plura, & potiora teneri:
Vt quo materiæ plus sufficitur, magis hoc se
Ignis diffundit: tantoq; potentius effert,
Et tollit flammas: sic tanto suscitat æstum

M aiorem ambitio : tantoq; ardentius inde
V rget auarities : quanto plus adcumulatum est,
C ongestumq;. fames multo succrescit ab esu.
Qui cupit efferri, tolliq; : Dei sibi munus
E xpetit, & fastus damnato crimine peccat.
Qui studio retinetur opum, & ditescere habendi
Quærit, traductæ reus, & sons relligionis
D ebet censeri. qui quærit opes: inhiatq;
D iuitijs: quodcunque Deo debetur: id ipsis
I mpendit rebus: grauiterq; impingit. honoris
H umani studium: ditescendiq; cupido
A nxia nequaquam cum relligione, Deoq;
C onueniunt. rerum affectus non relligionem
A dmittit: cultumq; Dei non suscipit. ut te
I ncolumem, sanumq; queat à peste tueri
H ac gemina Martelle: Deum propone tibimet
A nte oculos, fixaq; amplectere mente: rogaq;
A ssidue. mortem meditare frequenter: et huius
M ortalis lapsum uitæ, cassosq; labores
V ersa animo. quodcunque subis, tolerasq;, Deo fer
I mpensum: qui multiplici cum fœnore reddet
D enique, & æternam statuet, tribuetq; quietem.

AD HIPPOLYTVM MALEGVTIVM

G Ratulor Hippolyte, et uehemẽter gaudeo, qđ
V iuendo talẽ præstes: ut promerearis (te
A lbo hominum conscribi, adcenseriq; piorum.
T u quamuis de iure feras responsa, foriq;
P ertractes causas: uersesq; uolumina iuris

Ciuilis: tamen interea non deficis à re
Diuina, neque scriptorum monumenta sacrorum
Dimittis manibus. quam tu semel apprendisti
Sinceram uitæ rationem: firmiter hæres
Sic in ea: ut ualeant nulla negotia ferre
Transuersum, firmumq; animũ præuertere. quãtò
Hæc tua uiuendi ratio discriminis in se
Plus tenet: econtra tantò specimen potioris
Relligionis habet, necnon uirtutis. in hoc te
Incorruptum animo ut serues discrimine, tam non
Demiror, quàm censeo eam propter rationem
Esse, Deo cur præcipue temet fatearis
Obstrictum: cuius succedat gratia, & aura:
Quod tibi sinceræ uitæ seruatur agendis
In causis, rebusq; fori. licet hactenus hoc te
In uitæ genere incolumem seruaueris auræ
Munere diuinæ: tamen optarem tibi deinceps
Ansam comminui penitus, quæcunque periclum
Exhibeat, præsensq; ferat discrimen. eadem,
Qua sis, præterea si te seruare subinde
Incolumem posses pietate, foret quoque: cur te
Subtraheres causis, rebusq; forensibus: ut quæ
Profectum uitæ possint prohibere, remotis,
Exclusisq;, gradum quires attingere: qui sit
Perfectæ rationis. ei contingere quit nil
Perfecti, qui plura petit, multisq; laborat
Curandis. unum porro, penitusq; necessum est
Curari. qui distrahitur, non cogitat unum.
Dum uarijs rebus mens irretita tenetur:
Non ualet, exactæ quidquam persoluere quod sit

Relligionis. habet commercia nulla salutis
Quærendæ ratio cum rerum affectibus. huius
Mundi amor et studium nequeunt concurrere cũ re
Diuina, cultuq́; Dei. præstare duobus
Officium dominis penitus pugnantibus unà
Incassum conamur. in hac ratione suapte
Viuendi quoniam quidquam non accidit esse
Perfecti: cuius neutiq; admittit adeptum
Multiplex rerum curatio: suadeo quantum
Par est, & nostri ratio permittit amoris:
Vt cura lucri posita, missoq́; forensis
Gloriolæ studio totum te tradere cures
Perfectæ uitæ rationi: & quidquid obesse
Possit, & à cultu diuertere relligionis
Exacto ualeat, studeas dimittere. aratro
Qui semel iniecit dextram: non conuenit, ut post,
Aut retro aspiciat. dum rus curatur, aguntur
Nuptiæ, & in bobus studium uersatur emendis:
Commoditas domini præterfluit accersentis.

AD PACCIVM SACERDOTEM.

O Te felicem Pacci: qui deditus aris,
Et sacris uitam traducis relligione
In summa, totaq́; insistis mente saluti
Acquirendæ animæ. saties cum nulla paretur
Ex rebus mundi: cum sit possessio rerum
Passim humanarum fallax: nimium prudenter
Eligis: & sano nimium decernitur à te
Consilio: quando mundi, rerumq́; sequela

Dimiſſa totis incumbis uiribus in rem
Diuinam, totumq; Deo te pectore tradis.
Cum res humanas quidquam conferre quietis,
Aut pacis non poſſe, animo comprenderis, à quo
Summa quies, à quo pax prodit læta Deo te
Addicis: ſtudiumq; Dei, curamq; ſalutis
Suſcipis. affectus rerum dum ponis, & huius
Traducis curam uitæ: & ſolummodo habendam
Decernis finis rationem: tam ſapienter
Efficis: ut non ſolum animæ bene proſpicias, ſed
Vitæ etiam cauſa præſentis pacifice tam,
Quàm contente habeas. quẽ nullus opũ, uel honorũ
Tranquillare animum potuit ſucceſſus: eum ſic
Tranquillat ratio uiuendi recta: Deiq;
Gratia, ut omnino nihil expetat ulterius, quàm
Corporis exolui uinclis, & carcere cæco
Educi. qui continuo cœleſtia uerſat:
Aſſiduaq; Deum conuoluit mente, caletq;
Virtutis ſtudio: fruitur mirabiliter, nec
Vlla animi ſubit, aut ſentit tormenta beatæ
Excipiens arram uitæ, quæ morte ſecuta
Sit ceſſura. animus diuino accenſus amore,
Feruentiq; Dei cultu detentus habet nil,
Quod prorſum cupiat. nauci facit omnia. ſenſum
Non retinet, niſi quem cœleſtis ſuſcitat ardor
Regni, uel dilata beatio commouet. ut mox
Gratia perfudit hominem diuina: nocentes
Non minus affectus rerum, curæq; moleſtæ
Excedunt, quàm ſe menti bona gaudia dedunt
Seq; animo inſinuant diuinæ iubila pacis.

Sors felix, qua tu domino coniungeris: & qua
Delectus deseruis ei, qui præmia defert
Largiter: & multo reddit cum fœnore partam
Mercedem. dum tu mundi contemnis honores:
Et res humanas constanti pectore spernis:
Sic rem diuinam tractas, animæq; salutem
Prosequeris, cupias ut non solummodo cautum
Esse tibi, sed passim etiam prodesse procures.
Candida simplicitas, & mens sincera relinquit
Nil prætermissum, quo proficiatur. egenti
Consulitur, quantum patitur prouentus: apertis
Scripturis, & uoce palàm tractamen initur
De seruatu animæ: quantum se spiritus offert,
Et doctrina ualet. cum te sic arbitrer esse
Acceptum, carumq; Deo: ut quæcunque petas, sis
Impetraturus: quàm possum præcipua ui,
Te rogo, ne desis precibus mihi: quatenus opto
Exolui tricis mundi, solitæq; quieti
Restitui, similemq; tuæ deducere uitam.

AD FRANCISCVM MARTELLVM.

Nostra erga te incredibili Martelle uoluntas
Affectu propensa facit plerunque, decorũ
Ne uidear satis obseruare: redarguo dum te,
Admoneoq; hominem sacrum, doctumq; profanus,
Ac infans. quamuis talem te prorsus opiner
Esse, tua qui pro doctrina, & relligione
Indigeas minus: ut monear: tamen meus in te
Magnus amor non permittit me cernere, quidnam

Conueniat, deceatq; mea pro conditione,
Personaq; tua. dum de te suspicor, atque
Extimeo semper: fit uti uidear mihi habere
Instar Zelotypi: qui captus amore pauescit
Assidue, & quacunque timendi suscipit ansam
Ex causa. duo præcipue: quæ Zelotypum quem
Constituunt, amor insignis, præstantia formæ.
Non est zelotypus, nisi amet uehemēter: & inde
Extimeat: nequid formæ contingat amatæ,
Quod noceat, labemq; aliquam compingat. amemus
Cum te mirifice, & causa uirtutis, abunde
Qua pulchrescis, eò ducamur: ut extimeamus:
Nequid ei labis, nequid discriminis ultra
Incidat, efficitur, nequo te tempore nostris
Exemptum monitis patiamur, & interdum non
Scribere cessemus: quod conueniat retinendæ
Virtuti, & uitæ perfectius instituendæ
Conducat. quanto uirtutibus inter amicos
Clarior appares nostros: tanto potiori
Officio curaq; tibi reor esse cauendum.
Præterea quantò parta uirtute careres
Turpius, & quantò deformius integritate
Deficeres solita: nos tantò impensius æquum est
Consulere, atque omni conatu insistere, nequid
Fiat, quo uirtus decrescat: & imminuatur
Integritas. cum pro facili, & prompta ad recidendū
In uitium natura hominis diuertere recti
Tramite, uirtutisq; gradum decedere semper
Possumus: uix quit fieri: ut satis admoneamur:
Et pro pendenti semper discrimine: quantum

Sufficiat, monitis interpellamur. ab omni
Immineat cum parte occasio deficiendi
A' recto, tam non aliquando incuria debet
Admitti: ut iugi cura, studioq; frequenti
Sit prospectandum: nequid surrepat, obesse
Quod queat integræ uitæ, & sacræ rationi
Viuendi. tam securi, tutiq; sumus nos
Nunquã: ut perpetuo impendat discrimen: et ut tũc
Præcipue peccemus, aberremusq;, remisso
Cum studio nobis paulum concedimus ipsis.
Hostium habent instar se affectus: obsideant qui
Arcem animi. nisi solerti custodia cura
Excubet: & quoscunque aditus obseruet: & omni
Cauta modo insidijs occurrat: nempe futurum est:
Vt confestim hostes subeant, potiantur & arce.
Præter amicitiam, & perfecti uinculum amoris
Est quoque quid, cuius causa rear utile, sine
Conueniens: ut nostra opera monearis. ut undas
Sulcantes pelagi si quo in discrimine forte
Versentur: non plene adeo, exacteq; periclum
Deprendunt, cernuntq;, uelut qui littore sistat
Proximo, & aspiciat uexatam turbine nauem:
Non aliter, qui te positum in discrimine rerum
Multiplici specto: melius deprendo pericli,
In quo uerseris, rationem, quàm facias tu:
Idcircoq; tui non ab re cura monendi
A' me suscipitur. quam rem sic accipi, & æquo
A' te sic animo ferri desidero: ut ingens
Non minus expẽdatur amor: quàm quæ queat exin
Prodire utilitas: cuius in quenque ferendæ

Sum cupidus. tibi cum sacro pastore, pioq;
Legato, cui à consilijs es, quatenus ipsum
Admonui quandoque: uolo, iubeoq; sit ista
Omnino communis epistola: nec secus, ac tu,
Accipiat: quæcunque animo scribuntur amanti.

AD PAVLVM IOVIVM HISTORICVM.

Scribendæ, facunde Ioui, cui munus initur
Historiæ, & rerum per tempora succedentum
Scriptio suscipitur: non his solummodo famam
Conciliat sibi perpetuam: sed reddit eorum
Immortale etiam nomen: quos gesta recensens
Commemorat. quin posteritati proficit, & fert
Campum: quo fiat prudentior: atque alienis
Cautior exemplis reddatur. qua suaderi
Quit ratione, genus nullum dictaminis esse,
Scripturæ'ue, quod expediat sic publice: & usus
Adportet tantum: quantum ex scripta referatur
Historia: cuius ratio prout utilitate
Multiplici constat: sic exigit: ut referendi
Veri præcipue finis statuatur in ipsa
Scribenda: summaq; fide tendatur. oportet
Idcirco quicunque uelit munus profiteri
Scribendæ historiæ, penitus se præstet ab omni
Immunem affectu, nulloq; odij, uel amoris
Tangatur stimulo: & nullo liuore prematur.
Nam cum diuinæ passim argumenta pronoæ
Eliciantur ab historia: tam fingere quidquam,

Mentiriq; nefas: ut qui committat in hac re,
Non homines solum offendat uerũ quoq; summa
Infensum ratione Deo se præbeat: in quem
Non delinquatur leuiter: dum commemoratu
Falso, & mendaci deprensio soluitur eius
Iustitiæ. quo præterea succedat: uti quem
Possit homo fructum sibi sumere iustitiæ ui
Deprensæ fraudetur eo non absque recenti
Detrimento animæ. cum sis tu nominis inter
Historicos primi, & scribenda præcipue sis
Clarus in historia: te mentem aduertere oportet:
Nequid committas in scribendi ratione:
Quod fini historiæ aduersetur, & arguat in te
Affectum. ueri initio est ducenda tibi sic:
Ut fugias tam palpum, quàm liuoris inanem
Te præstes. nulla offensæ, meriti'ue recepti
Conditio tantum debet pollere penes te:
Quin ueri rationem habeas longe potiorem
Dicendi. haud tanti debent accepta putari:
Ut cures deferre magis, quàm competat: & par
Sit meritis. tanti censeri iniuria nulla
Debet: ut in quẽquã impingas aliquid grauius quàm
Conueniat, factiq; petat natura. tenere
Id debes animo propostum semper, ut ullo
Esse recedendum pacto de tramite ueri
Non arbitreris. præter ueri referendi
Legem præcipue obseruandam, præterea quid
A' te præstandum historiam scribente requiro:
Scilicet historiam ut monitis conspergere cures:
Et nullam speciem diuinæ prorsus omissam

Iustitiæ facias: quin admoneas studiosos:
Et passim monstres lectoribus, ut comitetur,
Extremoq; malos apprendat pœna: nihilq;
Denique diuina impunitum lege sinatur.
Vt decus immortale bonos felixq; sequatur
Conditio, monstra rerum successibus: & fac
Testatum scriptis, nil non concedere tandem
Virtuti, & iusto feliciter omnia demum
Sinceroq; homini procedere. si tibi curæ
Id fuerit monstrare pater uenerande: iuuabis
Non pro ciuili tantum uirtute legentes
Quærenda, sed quosque etiam in diuina, Deiq;
Cultum pellicies: dum præmia certa probatæ
Deprendent uitæ contingere: & integritati,
Virtutiq; piæ deferri cuncta beato
Successu. id prono tam te curare decens est:
Vt pro diuino, quo nunc fulgescis, honore
Non aliter digne genus exercere profanum
Scribendi hoc ualeas. quid enim cōmune sacri cum
Officio pastoris habet tractatio belli,
Armorumq; ferox prouincia: ni rationem
Coniunctam cum diuinæ ostentamine seruet
Iustitiæ: exemplumq; hominis ferat absterrendi
A uitio, in studiumq; piæ uirtutis agendi?
Non satis hæc ratio scribendi quadrat honori,
Quo præstas, sacro, nisi causa relligionis
Quid referat fructus: prositq; subinde animando
In diuina homini: quem finem agnoscere ab Afro
Seruatum, tentumq; tuo cognomine possis.

AD PEREGRINVM ALVERNAM
Sacri ludi præfectum.

SIc munus Peregrine tuum non arbitror esse
Vile, uel abiectum: ludo dum incumbis: & ære
Conductus sacram classem, sacrisq; dicatos
Instituis iuuenes: ut credam te ratione
Hac ideo dignum, qui summopere obserueris,
Et passim eximio afficiaris honore. quis artem
Dignius impendat: studium uel collocet unquam
Vtilius, quàm qui doctrina, & moribus illos
Ornandos curat: quos deseruire necesse
Sit sacris, cultumq; Dei proferre? parari
Qua possit opera tantum fructus, meritiq;:
Quã qua cõsulitur priuatim, & publice: & ex qua
Cultus, honosq; dei tam propagatur abunde,
Quàm ratio uitæ, morumq; salubriter acta
Funditur. id planè studij, quodcunque iuuentæ
Impendis sacræ tam moribus instituendæ,
Quàm literis contendit eò: ut non utile tantum
Cedat eis: quos instituas, doceasq;, sed illis
Proficiat cunctis etiam: quicunque profani
Exemplo uiuunt: multumq; mouentur eorum
Ex uita: quos præpositos tanquam monitores
Agnoscunt, & sacrorum, cultusq; ministros
Diuini obseruant. quo munere demerearis
Numen, & obstringas homines, aditumq; saluti
Quærendæ præstes animis, quisnam sapienter
Expendens, recteq; putans non iudicet eius

Tam dignam, fructuq; refertam conditionem:
Vt non esse aliud quid muneris arbitretur
Aeque conducens, aut utilitate redundans.
Si tantum patri, qui corporis instrumentum
Formandi est, solum: diuina, humanaq; iura
Deberi statuunt: quantum par, atque decens est.
Obstringi tibi, quos animis formes pius, & quos
Tanquam instrumentum diuini numinis ornes
Moribus, & sacra decores uirtute. figura
Quam genuina hominis differt à corpore partus
Monstrosi, tam quod praestas operae instituendis,
Formandisq; animis, operam quamcunq; paternam
Gignendi praecellit. in humana specie cum
Praecipue uirtute Deus referatur: opus, quod
Tradendae tractas uirtutis, oportet, ut id tam
Diuinum ducamus: quàm te authore reamur
Diuinos homines fieri. cum nulla sit actus
Omnino humani ratio praestantior, & ui
Nobilior: quàm quae supremum respicit, atque
Attingit finem, quo humana beatio constat:
Quid sit nobilius, quid sit praestantius illo
Munere, seu studio: quo fiat, ut instituantur
Sic homines: ut tam studiosi relligionis
Cultores, quàm quaesita uirtute beati
Reddantur: nō cerno equidem, comprendoue sensu
Quoquam animi. quocirca ut tu laetere, Deoq;
Grateris, tam conuenit interea peregrine:
Vt non maiorem rear offerri potuisse
Ansam, qua posses tibimet gaudere: Deoq;
Gratari: cui quodq; bonum, sanctumq; referri
Acceptum

Acceptum debet: cui tantò obstrictior esse
Tu debes: quantò potiori iure merentem
Munificumq; in te se præbuit: ad rationem
Cuius honorandi præsertim pertinet id, quod
Munus agis: quo planè fungendo numerum omnē
Implebis meriti: si in primis proficiendi
Proposito processeris: atque Deo faciendi
Rem gratam. quòd si mercedis amore,
Aut desiderio lucri duntaxat obiri
Munus id accideret: tam priuareris honore
Delato, quàm te laudis omnis, meritiq;
Expertem faceres: quod ne committere cures,
Tam cupio: tua quàm nobis accepta salus est.

AD FRANCISCVM MARTELLVM.

PRæteritis Romæ fuimus Martelle diebus,
Vt nosti, & desiderij compleuimus id, quo
Iam diu agebamur, sacræ fastigia caulæ
Visendi. si forsan aues cognoscere, quid nam
Illic egerimus, quantumq; laboris eundo,
Et redeundo subiuerimus: nescire minus te
Permittam. cum iam plures ego non equitassem
Per menses: & longa quies fecisset inertem
Me ualde, & segnem: comite adscito mihi equestri,
Qui consanguineus: Regio discessi, ut eodem
Acciperet studiosa die nos Felsina: de qua
Digressi per difficiles equitauimus alpes:
Donec me lauto Florentia pulchra recepit
Hospicio fessum. Senas contendimus inde:

Et demum octauo solis peruenimus ortu
Romam apprime debilitati uiribus: & uix
Haerentes genibus. successimus in cauponam
Primum. deinde domo Bocchaci acceptus amici
Ipse fui, remanente tamen comite in caupona
Cum nostris ambobus equis. simulatq; quieui
Paulum, paulisperq; fui recreatus adiui
Pontificem: ad quem subsidio introductus, & aura
Ceruini, quem debebam summissus honorem
Detuli, & ore breui gratatus. pauca locutus
E' contra fuit ille: meae quae conditioni
Competerent satis: & grauitati, siue decoro
Personae ipsius quadrarent optime. ut usi
Officio fuimus uisendi quenque merentem,
Atque salutandi: nosmet conuertimus ad res
Vrbis, & ingentes moles, ueteresq; ruinas
Spectandas: quae non plane' exciuere stuporem
Tantum, quo'd ueteris splendorem significarent
Eximium imperij: sed quod nihil esse perenne,
Perpetuumq; laboris testarentur habendum
Humani. si tam magnae moles fabrefactae
Tot rerum pretijs, tantoq; impendio, & arte
Tam ualida iam defecere, nihilq; ruinas
Praeter habent: quid de nostris conatibus, & de
Humanae uitae sperandum est conditione?
Quae sic sit fragilis, fatoq; obnoxia, uti uix
Perdurare queat momento temporis. hinc qua'm
Nostri conatus sint uani, collige: qua'm non
Huic nostrae uitae rationi sit tribuendum,
Fidendumq; puta. tempus ruit omnia, agitq;

In mortem. moles, uitam, humanosq; labores
Destruit, & lapsu consumit cuncta ruenti.
Ter septem cum Roma dies nos detinuisset:
In patriam decreui aliâ contendere: quàm quâ
Venissem Romam. uisendi Virginis aram
Lauretæ desiderium nos fecit inire
Difficiles, longasq; uias. dicessimus ergo
Roma, & per montes, angustaq; claustra uiarum
Tandem Lauretum peruenimus. æde petita
Virginis: & cultu delato Virgini, abiui
Post paulũ stomacho infirmus, nec sat bene habẽs me
Corpore. eo me Anchona die suscipit acerbo
Hospicio: quoniam tota me nocte calescens
Vexauit febris. nihilominus inde recessi
Mane: fuiq; maris iuxta littus equitatus:
Donec pransuri appulimus Senogalliæ: ubi uix
Constitimus, paulumq; cibi percipimus: ut se
Bilis amarities, æstusq; exciuerit: & me
Nausea cum febre ingenti comprenderit. ut rem
Ingenue fatear, timui, ne sors mea fati
Posceret: externa ut morerer regione: proculq;
À patria, atque meis decederem. erat mihi supra
Quàm dici possit, graue deficere in caupona
Infamiq; loco, aut etiam ægrotare. meorum
Officium succurrebat, quod sueuit amanter
Præstari mihi tota domus studiosa ferendi
Obsequiis se subiciebat. qua ratione
Quàm potui, prece contenta, seu mente rogaui
Numen, ut interitum potius mihi patria ferret:
Quàm regio externa, aut turpis caupona teneret

Aegrotantem. quapropter requieuimus illic,
Donec diuino febris se dura remisit
Munere. dum patriam propero spectare, meisq;
Opto frui: non febre carens, nec prorsus ab æstu
Febrili immunis persisto equitare, uiamq;
Vrgeo constanter: donec me Felsina grato
Hospicio suscepit: ubi requieui aliquantum,
Et uires aliquas sumpsi mihi sufficiente
Officium cœtu iuuenum nostratium, apud quos
Mansi, dum re composita statuere redire
In patriam pariter, studiumq; remittere. quare
His tandem Regium redij comitantibus: in quo
Liber, & indemnis tristi langore quiesco:
Et nullos prorsus subeo, nisi sponte labores.

AD MARCVM ANTONIVM.

DVm fuimus Romæ, qualē se maximus in me
Præbuerit Pastor quoniā cognoscere Marce
Expetis, hoc totam seriem sermone capesse.
Impetrare aditum spacio uix octo dierum
Quiui: & Ceruini ni præsulis aura fuisset,
Credo superuacuus successisset labor omnis
Noster, iniremus quem Pontificis adeundi
Causa. nil aliud primo retuli, nisi quædam
Verba satis succincta, minusq; affecta. ratus sum
Distractum curis grauioribus esse locutum:
Aut mutasse animum mutata conditione:
Quem quandoque fuit uisus præferre benignum.
Qui uero causa officij duntaxat adissem:

Non adeo curans quid respondisset, abibam
Contentus. satis esse putans fixisse beatis
Oscula sandalijs, nil præterea cupiebam.
Sed lætabar mirifice: cum nil mihi causa
Officij prætermissum reputabam. aliquid nos,
Pontifici potuisse loqui, rebamur: & ista
Non ratione quiescebam modo, sed quoque ualde
Palpabam mihimet, mihimetq; hac sorte placebam
Summopere: interea nostras defertur ad aures,
Pontificem coram de me complura locutum
Magnifice, Annibali nostrati significasse,
Se rursum me uelle uidere, loquiq; priusquàm
Roma digrederer. redeo accersitus, & insto,
Vt sistar · dum nunc tempus condicitur ante
Prandiũ, & in cœnam dum nunc differtur, & ho
Noctis: complures comsumpsimus ambitiose (ras
Expectando dies. nunquam tolerasse recordor
Quid grauius, nunquam tantum patientiæ inisse
Mereor. Expecto dum commoda tempora: tantum
Temporis effluxit, tantumq; molestiæ adortum est:
Vt longa sit uicta mora patientia. tantum
Ambitio cultus captati improuida quiuit:
Quiuit adoratus tantum affectatio: ut ultra
Liber, & ingenuus tolerare ne quiuerim. iniquum,
Absurdũq; uidebatur nimium, me ferre repulsam,
À quo poscerer: ac opus esse ambire, quod ipse
Non curarem aliquid. quapropter pridie, abirem
Quam Roma, scripsi, quibus innotesceret illi
Me discessurum. accepit mea scripta, legensq;
In laudem nostram non frigida uerba profudit:

Et dixit se uelle aliquid donare, quod etsi
Me foret indignum, tamen indicium sui amoris
Esset: & affectum in me testaretur: & inde
Non nihil Annibali numorum tradidit ad me:
Quos equidem accepi non absque rubore, putās rem
Me facere indignam. protestatus tamen id sum,
Me facere oblatum ne spernens munus, eum, qui
Offerret, quandoq; uiderer spernere: ne'ue
Fraudarem miseros reiecto munere, quorum
In causam uellem uersum, quid muneris esset.
Sic ego donatus, commendatusq; recessi
Roma: de qua si poscas, quid sentiam: opinor
Ambitionis eam sedem, sortisq; cathedram.
Quid de pontifice interea sperare queamus,
Si petis: omnino possum sperare nihil: cum
Nil cupiam: quoniam spes nulla uigescit, ubi nil
Expetitur. tam quid non expeto rebus in istis
Humanis, ut sorte mea contentus honores,
Diuitiasq; putem momenti nullius esse.

AD IVLIVM III. PONTIFICEM MAXIMVM.

Quod me diue pater, donasti, et mūere dignū
Me duxisti: cū Romæ eém, agnosco tuū erga
Me propensū animū, nimioq; fauore beni(gnū:
Cum sim nullius meriti mihi conscius, & cū
Nullo uirtutis studio pollere putem me:
Quod facis, ex animo prodit bonitate tuamet:
Atque in nos non indicium mediocre benigni,
Propensiq; animi fert. idcirco tibi grates

I ngentes habeo , qui talem pro tua amanti ,
M unificáq; uoluntate atteſtatus es eſſe
M e, qui donari merear . quæ prona uoluntas
I n me oſtenſa fuit : fecit committere, quod non
À me commiſſum fuit hactenus : ut caperem quid
À quoquam dono . ni pontificis tenuiſſem
M aieſtatem offendere : ni donantis apud me
C onditio, aut animus potior , pluriſq; fuiſſet,
Quàm pretium : ingenuo non deceſſurus eram de
P ropoſito detrectandi, quæcunque darentur
M unera : quandoquidem abiecti, uiliſq; putaui
E ſſe animi quid dono ſumere : cum neque egeſtas
I nceſſat:ne que fortunæ uexatio iniquæ
I mmineat . dum te obſeruo, uereorq; nimis, ne
O ffendare :quod offertur, capio , facioq;
C ontra perſonæ mihi propoſitæ rationem .
Quod plane admiſſum emendari poſſe ratus ſum,
S i, quo non egeam , tradatur egentibus : & de
M unere ſuſcepto diſpenſem munera: quod tam
S um facturus, quàm ſtudeo committere nil , quod
P oſſit auaritiæ adſcribi, ualeatq; decorum
L ædere perſonæ,quam ſumpſimus . hac ratione
E fficitur : uti tecum duplex ineatur
N exus, tum noſtri cauſa, qui cœpimus à te :
T um cauſa illorum : qui, quod dono tribuiſti ,
À me ſuſcipient,inopum. Quare tibi duco
M unus ob hoc tantò maiorem gratiam habendam
E ſſe mihi : quantò plures mox accidet à me
D onari : & uitæ anguſta in ratione iuuari.
Quod tu tradideras nobis duntaxat in uſum

Corporis, id statui impendendum, ut prosit utrique
Corpori, egenorum causa, atque animæ, ratione
Nostri. nos longe ad meliorem uertimus usum
Quam cuius causa dederas. tibi debeo multum
Qui, quo prosim animæ, tribuisti : & debeo tanto
Amplius : ansa mihi quanto fuit aptior à te
Tradita : ut auxiliando alijs prodesse mihimet
Longe plus possem. quamuis fuerim tibi semper
Obstrictus, semperq; animum seruauerim amãtem
Affectumq; in te : tamen hæc occasio, quam fers,
Proficiendi, operatur : ut obstrictum tibi multo
Me plus confitear, uinctumq; tenacius esse
Affectu. quo fit nequid rear esse laboris,
Aut studij, quod non subiturus protinus essem :
Dum modo rem gratam facturum me tibi quoquo
Sperarem pacto. cuius munus geris : & quem
Summo iure refers, adeo me uincit, habetq;
Obstrictum : ut nil non eius tentare, patiq;
Auderem causa, quamuis profundere uitam,
Esset opus, diebusq; meis tormenta subire.
Interea uale pontificum supreme, tuiq;
Muneris expendens rationem uiuere cura
Tam diu, ut auspicijs felicibus aucta nitescat
Relligio, & sacrum uigeat pax firma per orbem.

AD IVLIVM III. PONTIFICEM MAXIMVM.

Confidenter, & ingenue si quid tibi summe
Antistes loquar, aut scribã : te ferre moleste

N olo, nec accipias aliter, desidero, quàm quod
E x animo prodit studioso relligionis,
A ffectoq; tibi. nam cum te semper amarim
S ummopere: ut cupiam consultum maxime honori
E sse tuo, consit. uehemens propensio: quæ me
I n studium cultumq; Dei iam detinet annis
A` teneris, facit, ut, si qua uideam ratione
P eccari, non ferre queam: quin admoneam, quo
C onueniat pacto, & curem, quo præcipue ex re
A rbitrer esse modo, succurrere. tu bene nosti
M axime pastorum: quantum sit temporis actum:
P ostquam concilio indicto spes publica cœpit,
V t dissultantes res relligionis ad æqui,
E t recti normam traherentur: & impia abusus
C olluuies sacra prorsum eximeretur ab aula.
P rofectum nihil hactenus est. nihil emendatum
I nterea reperitur. habent se cuncta, prout iam:
C oncilij cum penderet tractatio nulla.
Quin iam concilij deducta uidetur eò res:
V t tam nulla boni spes amplius esse superstes
D ebeat: ut fucus deprendi possit aperte
C ommitti, & quædam penitus collusio iniri.
Quò tendit dilatio tam diuturna? frequens quo
D irigitur suspensio? ut indulgenter agatur
I nterea, & solito res traducantur abusu.
Quanquam quid prodest decernere? si nihil eius,
Quod sit decretum, fiat. nihil expedit ultra
D isceptare. nihil refert contendere. nil iam
E st opus altercari: cum passim, quid agendum
S it, constet: canonisq; sacri documenta patescant

Clarius: hærēdum quàm sit de dogmate quoquam
Deq; aliqua morum, aut uitæ ratione trahendæ.
Id solum est opus: ut quæ iam sancita fuerunt:
Et scriptis mandata semel, seruentur: & unus
Quisque sui normam tueatur muneris. id si
Curetur fieri: non accidit, ut rationem
Concilij faciendi ullam ducamus. abunde
Legibus est cautum à maioribus. haud opus ultra
Condere quid legis. duntaxat condita oportet
Exequi: ad officium quod planè pertinet istud
Summe tuum Antistes. nam cum suprema potestas
Te penes existat: iudex & censor es unus
Omnibus arbitrioq; tuo quæcunque Dei sint
Ad cultum, fructumq; hominis, disponere quis tu.
Frustra concilio sanari quæritur: ad te
Quod spectat: munusq; tuum desiderat. ergo
Si uis consultum sacris pater optime rebus:
Ad rectum, sanctumq; tuas cohibere necesse
Est uires, Christiq; scopum spectare, facultas
De quo profluit omnis: quæ tibi competit. intra
Cancellos pietatis agendo contineas te,
Est opus: & studio procures proficiendum
Publice, & officio. quos promoueas ad honores
Diuinos, & quos tollas ad munera sacra,
Prudenter uersandum animo: quoniam nihil æque
Expedit ad cultum sinceræ relligionis
Inducendum: quàm rationem expendere uitæ,
Et morum cuiusq;, sacri cui dentur honores.
Non alia est ratio curandæ relligionis,
Sanandiq; gregis sacri, quàm tollere honestos,

S pectatosq; homines uirtutibus: & delectu
V ti personæ, quæ promoueatur honorem
A d sacrum . ni cura tibi, uel cautio tandem
H æc accesserit: incassum confidimus ulli
C oncilio : & frustra speramus restituendum
I n melius cultum pietatis. nulla solutos
L ex nectet, facile eludent decreta uetustis
A ssueti uitijs : quos ignorantia ineptos
R eddit, eos nunquam fungendi muneris ardor
A rripiet. quos præclaros uirtus faciet : & quos
I ntegritas uitæ per longum temporis æuum
E fficit insignes : his si tradantur honores
S acri, nequaquã dubitandum , quominus apte
P rospiciatur honori relligionis : & inde
P rodeat in uulgum fructus, cuius ratione
E dendi sacer omnis honos fuit introductus.
I d si curaris faciendum , spondeo nullo
C oncilio fore opus : controuersiq; futurum
N il cum Germanis : quos extremo nihil æque
C oncitat : ut legum non obseruata sacrarum
R elligio, & ueterum ablegata modestia morum .


AL DVS

c

